De Homine

MAGNO ILLO IN RERVM NATVRA MIRACVLO ET PARTIBVS eius essentialibus, Lib. II.

Authore

PETRO MON. LASCOVIO Vngaro.

W.3.

Sim. Lov. II. 142.

VVITEBERGAE

Per Heredes Iohannis Cratonis

Anno M. D. LXXXV.

Psal. 8. vers. 5.

Quid est homo vt memor sis eius, aut filius hominis vt visites eum: Nam fecisti eum paulò minorem Angelis, & gloria ac decore coronasti eum. Dominum eum perfecisti operibus, manuum tuarum, omnia posuisti sub pedibus eius.

Mercurius Trismegistus in Asclep. cap. 3.

Magnum miraculum est homo, animal adorandum & honorandum: hoc enim in naturam Dei transit quasi ipse sit Deus, hoc humanæ naturæ partem in seipso despicit, alterius partis diuinitate confisus.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
560
Stanowisko
w Toruniu
Ob. 6. K. 3411

AMPLISSIMO ADMIRABILIVM VIRTVTVM SPLENDORE PRAESTANTISSIMO VIRO, *Domino* SAMVELI SEELFISCH, *inclitæ vrbis VVitebergensis Consuli prudentissimo, & communi gentis Vngaricæ, in Academiam VVitebergensem studiorum causa affluentis, parenti,* PETRVS Mon. Lascouius.

A Deo Opt. Max. incolumitatem diuturnam, pacem tranquillam, & felicitatem sempiternam precatur.

MVLTA IAMpridem de singulari virtutum tuarum excellentia, & paterna erga gentem Vngaricam, incredibiliq; beneuolentia, ex multis audire potuisti, Consul prudentissime. Plurima nuper ex epistolis clarissimorum virorum, GEORGII GONCZII, & M.

BENEDICTI ILOSVANI, laudum tuarum, apud omnes bonos præconum locupletissimorum, legisti. Nunc me tandem, tum de admirabilium virtutum tuarum splendore, cum verò de mei instituti ratione, paucis differentem, benignè, & pacienter audias. Vt enim euidentior mei consilij reddi à me possit ratio, altius quædam de occasione, repetenda mihi opus esse video, qua permota gens Vngarica in celeberrimam hanc Academiam,

Per varios casus, per tot discrimina rerũ, peregrinationem suscipere instituerit. Annus agebatur M. D. XVII. cum regnantibus densissimis in Papatu tenebris, indulgentiæ, atq; figmenta humanarum traditionum, sepulta propemodum Euangelij veritate, in vniuerso orbe, turpissimo quæstu, à Monachis turpissimis, sed præsertim à quodam Iohanne Tecelio Dominicano, impudentissimo Sycophanta, in Saxonia venderentur. Viuebat tum Vitebergæ in Collegio Augustano circa portam auream iuuenis quidam Monachus, concionator, & Doctor Theologiæ, Græcis & Hæbreis literis deditus, nomine MARTINVS LVTHERVS, in ditione inclytorum comitum Mansfeldensium, in oppido Isleben,

ben natus, patre IOHANNE LVTHERO, matre MARGARITA. Hic tum impijs, & nefarijs Tecelij Concionibus irritatus, cum præsertim Spiritu Dei afflatus, studio pietatis ardens, infinita Dei misericordia sese exerente, aciem mentis in splendorem veritatis erigere cœpit, atq; populis dissua dere, ne indulgentiariorum nugis aurem præberent. Ac initiò quidem Vitebergæ propositiones de indulgentijs contra Pontificios edidit, quas publicè templo, quod arci Vitebergensi contiguum est, pridiè festi omnium sanctorum Anno *1517.* affixit. Audito hoc Lutheri ausu, eum Pontificij apud Papam accusant, qui Lutherum *in primis* Romam, deinde mutata sententia, in *Comicia Augustana, Anno 1518.* à Maximiliano Imperatore conuocata, ad Thomam de Vio Caietanum, tituli sancti Xisti præsbiterum Cardinalem, (qui tunc legatũ agebat à latere Pontificis) citari iussit. Venit eò Lutherus pedester, stipatus tamen literis, & sumptibus Principis Saxoniæ Friderici Electoris, vnde mirabili Dei protectione liberatus, & in sua confessione magis ac magis confirmatus, Vitebergam redijt. Mox sequenti anno *1519.* mortuo Maximiliano Dux Fridericus, (qui

Lutheri, imò veritatis patrocinium susceperat) iure imperij vicarius factus est. Quo ipso etsi Dominus in persequendo Lutherò Satanam paululum compescuerit: eodem nihilominus anno noua rursum ex inferis contra Lutherum Stratagemata in aciem produxit. Suscitauit etenim Eccium quendam pontificij erroris propugnatorem acerrimum, qui Lutherum cum Carolstadio, Lipsiam ad publicam euocauit disputationem, vbi cum mutua colloquia de discrimine legum diuinarum, & humanarum, de tetra Cœnæ Dominicæ prophanatione, alijsq; fidei articulis habita fuissent, vincente veritate, Lutherus ad publicam Theologiæ professionem *Vitebergam* redijt: *Hic cum duobus annis* post enarrationem Epistolarum Pauli ad Romanos, Galatas, & Ephesios, Psalterij secundariam suscepisset explicationem, in doctrina de pœnitentia, de vera peccatorum remissione, de fide, de indulgentijs pontificiorum repudiandis, de votis, alijsq; fidei articulis multos non solùm studijs Theologicis deditos, sed & plebem vniuersam, vsq; adeo confirmauit, vt vbi vnus pro Papa, duo ibi contra Papam pro Luthero starc viderentur. Atq; hoc modo

impletum

impletum esse multi animaduertebant, quod olim Salomon futurum prædixerat *1. Seg. 8. vers. 42.* Audietur nomen tuum magnum, & brachium tuum robustum, atq; extentũ. Anno etenim *1522.* nõ solũ ad fines Saxonicos, & Germanicos, verum etiam ad alias Europæ regiones, quantam potentiam Deus inferitate reformanda per Lutherum exeruisset, citissimè penetrauit (Est enim verbum Dei vt ignis conflans, & anceps gladius ad omnes mundi electos quàm citissimè penetrans.) Inprimis autem splendor veritatis, quasi stella vsq; ad Vngariam nostram refulgens, incredibilem in multis accendit ardorem, non modo ad ipsam veritatem amplectendam verumetiam ad videndum Lutherum, ex quo cœlestem doctrinam repurgatam tenacius haurire, & studium veritatis purius cognoscere posse existimabant. Itaq; anno *1522.* Rectore Philippo Mel. (quem Fridericus Dux, ad profitendas Græcas literas Vitebergam vocauerat.) Primus omnium Martinus (omen erat in identitate nominum) Cyriaci de Leutschouia, ad Lutherum in hanc Academiam sese contulit, quem anno *1524.* Dyonisium Lincium Pannonniũ, & Balthasarem Glebã Budẽsem

Malac. 11. Hebr. 4. vers. 12. Ierem. 23. vers. 29.

subsecutos fuisse, ex publicis Academiæ matriculis, eruditus vir CASPAR PESTIVS sua industria nobis prodidit. Hos rursus secuti sunt anno *1525.* IOHANNES Vthmannus Budensis, qui Anno *1526.* CHRISTIANVM Lanium, & anno *1527* IOHANNEM Sigler Leutsouiensem excepit. Anno sequente *1528.* Michael Szalai primo die Septembris appulit, quem anno *1529.* Matthias Biro Deuai Christianæ religionis in Vngaria acerrimus propugnator, & Georgius Iohannis Debrecinus subsecuti sunt. Horum exemplis plurimi gustu veræ pietatis, exarserunt vt certatim, ad cognoscendam veritatem, vel potius animum magis ac magis in doctrina fidei cõfirmandum, *in hanc Academiam accurrerent.* Quamobrem Anno *1530.* sequentes appulerunt. Simon Transyluanus, Demetrius Ciuda, Emericus Ocorinus, Lucas Thurinus. Anno *1531* Andræas Lupus Strigonienſis, Anno *1532*, Franciscus Tornensis. Anno *1533.* Iohannes Antal Georgius Saltzer, Benedictus Szerentsienſis, Martinus Pazolinus. Iohannes Baronius, Gregorius de Beltzeuitz, Caspar de Zethen, Martinus Babai Simigius. Anno *1534.* Michael Vngar Strigonienſis, Georgius

Rectore Velanione.

Rectore Caspare Crucigero.

Faber

Faber Sopronienſis, Lucas Sylueſtri, Thomas de Vyhel. Anno *1535.* Iohannes Peter de Fellak, Lucas Hunyadinus, Leonhardus Veysbech. Anno *1536.* Georgius Kakas, Thomas de Strigonia, Stephanus Saſs, Benedictus Locinus, Chriſtophorus Breis Poſonienſis, Sebaſtianus Baldius, Petrus Stockel à Bartpha, Franciſcus Haska di nobilis Michael de Ea Kalo. Anno *1537.* Stephanus Kalomi, Gregorius Peter, Nicolaus Rinolaus, Pet. Tſaludinus. Anno *1538.* Benedictus Gonczinus, Stephanus Goncznius, Paulus Sartor ex Alba regali, Iacobus Szegedienſis, Emericus Peſthi. Demetrius Temeſuarienſis, Iohannes Kiſſerienſis. Anno *1739.* Caſpar de Sancto Gottardo, Sigiſmundus Torda Gclous. Anno *1540.* Gregorius Vizaknai, Demetrius Batizi, Ioſephus Peſthi, Emericus Putaki. Anno *1541.* Andreas Batizius, Blaſius Felnemeti, Bartholomæus Fraxinus, Baſilius Turmerius, Iohannes Sommer Caſſouienſis. Anno *1542.* Stephanus de Kaputs, Stephanus Gauoi, Caſpar Paſtor, Anno *1543.* Caſpar Heltai: D. Stephanus Szegedinus, Benedictus Abadi, Franciſcus Molinus, Baſilius Biharinus, Iohannes Alagi nobilis, Andreas Vduari, Martinus Roſe-

Rectore Iacobo Miliochio.

Rectore Iuſto Iona.

Rectore Philippo Mel.

Rectore Melchiore Klug. I. V. D.

Rectore Georgio Cimione Med.

Rectore Iacobo Milic.

Rectore Matthæo Authogallo

Rectore Cæ

Caspare Crucigero. Roseman, Kapornensis. Blasius Vari. Anno 1544. Emericus Paloczi, Georgius Rudolfi Veterolienſis, Valentinus Karoli: Caſparus ex Gyula, Chriſtophorus Lippensis, Stephanus Harſani, Thomas Kiſani, Emericus Szigeti, Petrus de Szeſchapa, Iohannes Mediomontanus, Albertus Felcoti, Georgius Prodauizi, qui in patria mea poſt fœliciſſimam fidei Chriſtianæ inſtitutionem, occubuit. Anno 1545. Sebaſtianus Bringen Strigonienſis, Matthæus Szigeti, Raphael Stiger ex Notioſolio, Iohannes Sambucus Tirnauienſis, qui poſt indefeſſum in edendis proprio, & alieno marte elaboratis libris laborem, nuper Viennæ Auſtriæ occubuit. Iohannes Schremer Sopronienſis, Nicolaus Eſterinus, Paulus Szegedinus, Michael Raykani, Martinus à S. Elizabeth, Franciſcus Literatus, Blaſius Debrecinus. Anno 1546. Andreas Orman Cuſienſis, Dionyſius è ſeptem Caſtris, Iohannes Saſuarinus. Anno 1548. Franciſcus Clauſenburgēſis, Michael Korlat nobilis, Stephanus Gyompor, Iohannes Szakmari, Lucas Futaki, Albertus Szalatſi, Valentinus Debreczinus Michael Horuat, Ioſephus Szegedinus, Stephanus Crucigeri Crimicenſis, Iohannes Belſius, Georgius Siculus. Anno 1549.

Rectore Melchiore Eendio.

M. D. Rectore Georgio Maiore.

Rectore Vdalrico Moroeiſen I. V. D.

Rectore Iohanne Marcillo.

Rectore Caſpare Crucigero.

Matthias

Matthias Gyulai, Stephanus Clauſemburgenſis, Helias Tsoka Siklyeſinus, Gallus Kazdag. Franciſcus Futaki, Nicolaus Kanyo Matthias Orbazius, Iohannes Vitus Balſaratius, Doctor Medicinæ. Anno *15 0.* Matheus Goczi Superintendens in Tranſyluania, Lucas Zilahinus, Georgius Hoſzzutoti nobilis, Georgius Abſtemius, Iohannes Scheider, Vincentius Szinarai, Stephanus Almaſi, Blaſius Szekinus, Simon Oſdolanus Tranſyluanus, Emericus Szombatinus, Benedictus Hunyadinus, Iohannes Zobranczi Illyricus, Geruaſius Nagylaki. Stephanus Batizi, Georgius Agrienſis, Thomas Bencius, Matthias Feynerus. Anno *1553.* Antonius Szentkirali, Thomas Zobranczi, *Balthaſar Kiralij*, Paulus Dancius, Szentbenedeki, Andreas Baboltſai Simigius, Franciſcus Czegledinus, Georgius Kaniſai. Anno *1554.* Georgius Czegledi, Iohannes Varadi, Iohannes Tſengeri, Georgius Barany, Gregorius Molnar, Baſilius Debreczeni, Stephanus Inantſi. Anno *1555.* Paulus Vernerus Eperieſinus, Stephanus Koltſar Olomoczi, Martinus Cacorius, Matthias Tſabai, Georgius Mod, Andreas Modò, Georgius Fabri Tordenſis,

Rectore Iohanne Forſtero. a. 1501.

Rectore Vito Orilio.

Paulus

Paulus Thuri, Paulus Seraphin, Andreas Marci, Franciscus Medensis, Valentinus Crispus Colosuarienſis, Basilius Raczkeuinus, Caspar Horuat, Michael Virt Sempronienſis, Caspar Bezechius ex Montanis, Bartholomæus Bagosi. Hoc anno 1555, fratres nationis Vngaricæ Vitebergæ, pietatis & honestorum studiorum causa congregati, deliberare inter se, de cœtu constituendo seniore deligendo, & legibus (sine quibus nulla societas diu consistere potest) constituendis, cœperunt. Ac primò quidem Georgium Kakas Gallipaganum, spectatæ fidei & eruditionis virum, quiq; multos iam annos in Academia Vitebergensi vixerat, Communi suffragio, seniorem elegerunt, & leges in *matricula* cœtus descriptas, de obedientia præceptoribus debita, de modestia in communi conuersatione obseruanda, de exercitio concionandi, & disputandi, de seniore per successionem deligendo, & alijs ad cœtum legitimum conseruandum necessarijs communi consensu 24. Iunij tulerunt. Quibus legibus conscribendis interfuerunt hi sequentes.

Georgius Kakas Senior, Simon Osdotanus, Iohannes Vitus Balsaratius, Matthias

thias Tsabai, Gregorius Molnar, Paulus Thuri, Franciſcus Czegledi, Paulus Szentbenedeki, Iohannes Tſengeri,, Stephanus Baſilij Claudiopolitanus, qui tandem reuerſus in patriam, fidem & religionem veram abiurauit, atq; in caſtra Arrianorum perpetua cum nominis, & animæ iactura, transfugit.

Valentinus Criſpus, Georgius Mőd, Baſilius Smigmatopœus Debrecinus, Georgius Tordenſis, Andreas Tordenſis, Baſilius Raczkeui, Caſpar Horuat. Eodem anno redeunte in Patriam Georgio Kakas, primo nationis Vngaricæ Seniore, Vitus Balſaratius ſecundus in cætu Senior communi ſuffragio eligitur, qui anno *1556.* ſequentes cooptauit: Michalem Heueſi, Andream Czegledi, Bartholomæum Bagoſi. Matthias Tsabai Senior III. Eodem anno, ſub quo ſequentes in Academiam ingreſsi ſunt.

Caſpar Syluius, Caſpar Caroli, Petrus Dombrinus, Stephanus Cruciger Laſcouius, Gregorius Tsikai, Franciſcus Ferinus, Simon Oſdolanus Senior III. qui ſequentes cooptauit. Gregorium Szegedinum, Emericum Regiouillanum, Vrbanũ Koppanium. Iohannem Hatuani, Andream Kolinum Paulus

Paulus Thuri Senior V. sub quo sequentes appulerunt. Franciscus Kraznanus, qui postea in patriam regressus Christianam professionem abiurauit, & cum perpetua nominis, & animæ iactura, in castra Arrianorum transmigrauit.

Petrus Melius propugnator veræ religionis acerrimus. Caspar Syluius iunior.

Petrus Melius Senior VI. qui antequam nouos populares cœptaret in patriam reuocatus est, vtiq; vt cõtra Arrianos laboranti patriæ succurreret. Franciscus Czegledi Senior VII. sub quo hi Vitebergam accesserunt. Stephanus Eszeki, Nicolaus Veresmarti, Matthæus Sarmasagi.

Anno 1557. Stephanus Eszeki Senior VIII. sub quo sequentes accesserunt. Iacobus Bessenyei: Alexander Kendi Magnificus Dominus præses Regni Transyluaniæ Sapientissimus, & patronus meus benignissimus. M. Benedictus Iosuanus, benignus meorum studiorum fautor, & tanquam parens Colendissimus. Stephanus Mustricius, Petrus VVragouits Dombrinus Lucas Mezo Szikszouius, Basilius Szikszouius Stephanus Tehani. M. Lucas Szantai, Franciscus Strigoniensis Demetrius Rimazetsinus, Georgius Fabricius Gonczius Superintendens in Vngaria Vigilantissimus.

Matthias Vyhelinus, Albertus Agrienſis, Demetrius Sibolti, Emericus Huſzti. A. *1559.* Andreas Tordenſis Senior IX. ſub quo ſequentes acceſſerunt. Georgius Ropatſi, Simon Tſarnahoi, Petrus Beſſenyci, Petrus Debrecinus, Georgius Aalbani de Kirkei nobilis, Iohannes Okikai nobilis. Baſilius Fabricius Szikſzouienſis Senior X. Eodem anno, ſubquo hi acceſſerunt. Magnificus D. Andreas Magotſi patronus & fautor, ſtudiorũ, ſtudioſorũq; promotor benigniſsimus. Magnigf. D. Mart. Borzouiczi Cãcell. regni Poloniæ. A. *1560.* Iohannes Dam Pataki Laurentius Liſzkai, Franc. Szakmari, Nicol. Miskolczi, Melchior Ablontſai, Nicolaus Agrienſis, Thomas Belleinus, Lucas *Tholnenſis, qui in patriã reuerſus, atq; in mea patria paſtoris officiũ non ſine laude ſuſtinens, parentem Arrium imitatus,* quod in publica ſynodo Superitendens nõ fuerit declaratus, in Caſtris Arrianorum diuturna cum nominis ignomini verſatus, tandem reſipuit. Andreas Dobai, Iohannes Clyppeatoris, Stephanus Marcus, Siculus Czikienſis. Lucas Miskolcinus, Benedictus Inſulanus, Matthæus Tortenſis, Petrus Iloſuanus. Anno *1561.* Benedictus Ketskemeti, Demetrius Fabricius Szikſzai, Emericus Tarczali, Bartholomæus

Andinus Budai, Stephanus Gonczi, Matthias Almasi, Ambrosius Killeni, Anno 1562. Emericus Vduarheli Szilaginus, Valentinus Hellopœus Szikszai, Mattheus Huszti Demetrius Sibolti Senior XI. Eodem anno, sub quo isti accesserunt. Andreas Munkas Olascinus, Iohannes Agricola Ketskemeti Poëta laureatus, Gregorius Szikszai, Demetrius Miskolczi, Laurentius Szegedi, Basilius Smigmatopœus Senior XII. Eodem anno, sub quo sequentes accesserunt. Gregorius Sasuari nobilis, Emericus Sulyok nobilis, Benedictus Batizi, Iohannes Zobranczi, Paulus Szabo Varadiensis.

Demetrius Fabricius Szikszai Senior XIII. Anno 1563. qui de Ceremonijs humana authoritate in Ecclesia institutis respondentis officium suscipiens, leges & statuta nationis Vngaricæ in cætu proposuit, atq, communi omnium fratrum consensu stabiliuit. Sub eo autem sequentes Academiam sunt ingressi, Stephanus Tseleki, Michael Eszeki, Stephanus Monostori.

Michael Eszeki Senior XIIII. Eodē anno, sub quo hi appulerunt. Petrus Nagybanyani, Petrus Karolinus, Petrus Tsengerinus, Nicolaus Karoli, Iohannes Tsa-

Adi. 1564.

Gala-

naki, Andreas Szamosfalui, Nicolaus Galacei, Vrbanus Daroczi, Iohannes Tsulyak Myskolczi Valentinus Saiosz̄petperi, Iacobns Thuri, Albertus Szegedi, Andreas Agriensis. A. *1565*. Michael Mohinus, Valentinus Balta, Laurentius Czegledi, Georgius Fabricius Gonczi in secunda peregrinatione Senior X V. eodem anno *8*. Februarij, sub quo sequentes acceſſerunt. Caſpar Fabricius Deberhegi, Franciſcus Alexandri Vedanus, Thomas de Kyſſenie nobilis, Balthaſar Szentmihali, Gregorius Szederkeni, Sigiſmundus Endridi. A. *1566*. Iohannes Felnemeti, Ambroſius Szikſzai, Iohannes Heurotus Agrienſis, Valentinus Hellopœus Szikſzai Senior X V I. Eodem anno à quo ſequentes cooptati ſunt. Bartolomeus Nagytalyai, Antonius Talyai, Michael *Pakſi*, *Adamus Tordai*, Caſpar Detſi, Emericus *Szanki*, *Stephanus Bekeſi*, Matthias Thuri. Adamus Tordai Senior X V I I. A. *1566*. à quo ſequentes ſunt excepti. Valentinus Eckius Bartphenſis, Iohannes Veteſius. A. *1567*. Franciſcus Kopatſi, Georgius Serarius, Iohannes Olah Szikſzai, Nicolaus Monoſtori, Chriſtophorus Szigeti, Michael Vnguari Cacmacus, qui cū ſecundò Vitebergam honeſtorum ſtudiorum cauſa anno *1571*, acceſsiſſet, vix duobus menſibus elapſis inſperata morte ereptus eſt *25*. Maij. A. *1568*. Iohan. Veteſius Senior X V I I I. à quo ſequentes ſunt cooptati. Balthaſer Thuri, Ioh.

Czegledi, Nicolaus Gyarmati, Petrus Lippai qui post reditum in patriam religionem cũ professione vitæ mutauit, Thomas Monos Patachinus, Paulus Puha Miskolczi, Barrabas Szinerua ri, Thomas Fabricius Mohi, Iohannes Berexasius, Iohannes Bonifacius Debrecinus. A. *1569.* Antonius Szikszai, Ladislaus Rosasi, Franciscus Tarczali. Iohannes Felnemeti Senior XIX. Eodem anno sub quo sequentes appulerunt. Michael Hottman Trapoldinus, Georgius Bankai, Thomas Szikszai, Thomas Szegedi, Gregorius Kallai, Iohan. Anthemius Pesti, Ioh. Pesti, Emericus Iasz Debreczeni, Michael Varsani, Benedictus Tsanadi. A. *1570.* Paulus Puha Miskolczi Senior XX. à quo sequentes sunt cooptati. Thomas Desinus, Valentinus Bogats Tholnensis, Georgius Szigeti. Nicolaus Monostori Senior XXI. Eodẽ anno à quo sequentes excepti sunt.

8. Maij. Iohan. Io Debreczinus, Petrus Berexasius, Thomas Fabricius Mohinus Senior XXII. eodem anno à quo hi sunt cooptati. Thomas Kaplyanus, Iohan. Telekius, A. *1571.* Clemens Saruari, Matthias Szikszai, Stephanus Crysopœus, Matthæus Scariceus Keuinus, Andreas Vduarhelinus, Michael Megimuranus, Andreas Nauclerus Tholnensis, Paulus Tsengerinus. Gregorius Bode Szigeti Senior XXIII. eodem anno qui hos excepit, Gregorium Foldesi, A. *1572.*

6. Aug. *6. Idus Aug.* Matthæum Toronæum, Basilium Ormani Iohannem

hannem Kortuelyosi, Matthæum Gemmæum, & Iohannem Nemetium. Petrus Laurentinus Beraxasius Senior XXIIII. eodē anno *10.* Sept. à quo sequentes cooptati sunt. Vrbanus Milopœus Szankius. A. *1573.* Melchior Thurius, Iohan. Berechæus, Valentinus Fabricius Tholnēsis, Nicolaus Tsitsa Biharinus, Laurentius Karātsi, Georgius Cæsar Cassouiensis. A. *1574. 12.* Iunij Albertus Kallai, Matthias Szegedinus, Emericus Galsi, Szerdaheliēsis. Matthæus Toronæus Senior XXV. eodem āno *8.* Augusti, à quo sequētes excepti sunt. Iohan. Lascouius *27.* Sep. Valentinus Lingelius Tirnauiensis. A. *1575.* Ambrosius Buzas Szentmiklosinus, Ladislaus Rosasi, Paulus Motsi Tsehnus, Michael Kallai, Iohannes Karolinus, Andreas Bereki, Georgius Pente, Emericus Miskolczi, Stephanus Szepsi, Andreas Tarnoczi, Petrus Tasnadi, Vincentius Tholnensis. Georgius Cæsar Senior XXVI. A. *1576.* á quo sequentes sunt cooptati, Georgius Szetsi Virouichius, Ambrosius Deretskei, Iohannes Szalai, Thomas Szolosi, Lucas Gyarmati, Stephanus Szikszai, Basilius Mosdosius, Emericus Szamoskozi, Fabianus Piso Bellei. A. *1577.* Andreas Pankotai, Paulus Szegedi, Iacobus Enyedi, Stephanus Kaposius, Georgius Szepesi, Paulus Varsani, Dauid Sigemundus Gassouiensis, qui ad Heluetios sese transferens, & postmodum in patriam reuersus, post laudabilem

scholæ

ſcholæ Varadinæ gubernationem, ad præſides regni Tranſyluaniæ Albam Iuliam translatus eximiam ingenij laudem apud omnes bonos adeptus eſt. Iohan. Szenaſi, Iohannes Monai, Nicolaus Czegeni, Paulus Szegedinus Senior XXVIII. A. *1578.* à quo ſubſequentes cooptati ſunt. Daniel Kiſdofzai, Michael Karolinus, Petrus Monedulatus Laſcouius, *16.* Decembris, qui poſtmodum. A. *1581,3.* Iunij ſecundariâ in Italiam & Galliam peregrinationem Alba Iulia ſuſcipiens, A. *1582.* rurſus Vitebergam reuerſus, ibiq; ſemeſtri ſpatio, ſola librorum compingẽdorum gratia commoratus, à Patronis, regni Tranſyluaniæ præſidibus reuocatus, in patriâ redijt. Stephanus Ori, Andreas Kapolneus Szalainus, Ioſephus Batizius, Iohannes Herczegloſius, Matthias Piskolti, Caſpar Peſti, Petrus Vitez. Tſengerinus, Paulus Montanus, Iohan. Szalmadius. Caſpar Peſti Senior XXVIII. eodem anno *15.* Auguſti à quo ſequentes excepti ſunt, Gallus Katatſalui, Martinus Szoloſius, Nicolaus Iklodi, Franciſcus Debreczeni, Petrus Szamoskozi. A. *1579.* Baſilius Varſani, Iohan. Debreczinus, Franciſcus Debreczeni Senior XXIX. eodem anno à quo hi cooptati ſunt. Iſaac Vaſarhelinus, Iohannes Toltſuai. A. *1580.* Iohannes Herczegſzoloſius iunior, qui cum ad annũ *28.* diem Aprilis *18.* laudabiliter in ſuis ſtudijs in Academia verſatus fuiſſet, repentina morte

hora

hora prima noctis abreptus est,& in Cymiterio templi vrbis,inter scholam& templum,vtiq; vt eius pietas & labor in subeundis studijs declararetur, sepultus est. Cui postea A. *1584.* Cætus fratrum Vngarorum excisо lapite monumenrũ posuit. Lucas Hodazius, Emericus Bekesius, Andreas Sarosius,Iohannes Kazai,Paulus Szãtai, Martinus Tornensis, Stephanus Szvvrtei, Paulus Senyei,Vitus Szanki.Stephanus Szvvrtei Senior XXX. eodem anno,à quo sequentes sunt cooptati. Michael Debreczinus.Nicolaus Gyarmati. A. *1581.* Bernhardus Katnari,Iohan. Sarkozi, Iohan. Fvvresz Telegdi, Isaac Fegyuernekinus,qui post laudabilem in studijs Philosophicis,& Theologicis cursum, Heidelbergam sese conferens, A. *1585.* in patriam redijt. *Thomas Fabricius Tholnensis.* A. *1582.* Paulus Berexasius,*Lucas Kotski.*Lucas Hodaszi Senior XXXI. eodem anno à quo sequentes sunt cooptati. Iohannes Kallouius,StephanusGonczius,Balthasar Szamoskozius, Michael Naduduarius,Iohannes Iulius. Andreas Sarosius XXXII. Senior eodem anno à quo Daniel Vasarhelinus cooptatus est. Iohannes Kallouius Senior XXXIII. à quo sequentes cooptati sunt. Iohannes Siderius A. *1583.* Georgius Tardi, Iohannes Peleus,Andreas Tallyai *19.* Maij, Georgius Karolinus, Iohannes Siderius Szikszai Senior XXXIIII. eodem anno *24.* Augusti

gusti, à quo sequentes sunt cooptati. A. *1584.* Georgius Kaposi, Stephanus Munkatsi. Andreas Karolinus, Iohannes Nemeti, Franciscus Szaraszi Tholnensis, Stephanus Tsorba Debreczinus. Thomas Fabricius Tholnensis Senior XXXV. à quo sequentes sunt cooptati. Franciscus Vasarhelinus, Iohannes Tsanadius. Anno *1585.* Iohannes Literati Danoczius, Iohannes Budæus Matthias Buza Iulanus. *18.* Maij Nicolaus Agrienſis, Iohannes Varsanius, Paul. Kalmatschinus Simigius. Basilius Szepsinus.

Hac occasione atq; serie selectissima hæc studiosorum nationis Vngaricæ acies, ab annis septuaginta tribus, in hanc Academiam excolendi ingenij gratia affluere non destitit, Quæ etsi ex eo tempore totius vrbis incredibilem beneuolentiam, atq; humanitatem quottannis experta sit: Nullus tamen, (quod citra assentatiunculam dictum existimes) omnino extitit, cuius beneuolentia, atq; beneficijs. tantopere quam tuis, consul præstantissime vsa est, vt iurare ausim Deum te peculiari quadam prouidentia, patrem & patronum gentis Vngaricæ nasci voluisse. Tu enim vir certe natura benignus, virtute probatissimus, opere officiosissimus, incomparabili humanitate tua omnium mentes vsq; adeo vicisti, vt ingens admirabilium virtutum tuarum quasi stellarum

rum ſplendor, ad extremos vsq; terminos Vngariæ, dudum effulſerit.

Quamobrem cum non modo innumeris beneficijs tuis, ſed & ingenti animi præſtantia, incredibilem in nobis accenderis amorem, ad te vehmenter amandum, & colendum inprimis, atq; venerandum: ſæpius animo reputauimus noſtro, quo pacto tanta temporum tuorum bona, poſteritati quoq; viſenda proponeremus. Atq; inprimis ego, qui duplici peregrinatione mea, duplici nexu me tibi deuinciri agnoſco cum æqua lance expenderem, quam & ego ipſe & tota gens mea à te honorificentiſsimè ſemper ſit affecta, has lucubrationes meas, de opificio hominis in lucẽ promere volens, communi gentis meæ nomine, tuo nomine ornare non dubitauj: non quidem vt tãtę erga te obligationi noſtrę aliquid diminuam, ſed potius vt addã, illãq; augeã. Quare haſce Chartas (munera enim noſtra noſti eſſe chartacea) incomparabilis amoris erga te noſtri, atque gratitudinis teſtes eſſe patiare. In poſterum dabimus operam, vt hac via tibi nos plura debere agnoſcamus, gratitudinisq; noſtræ perpetuam ſignificationem faciamus Vale Conſul prudentiſsime, illosq; gratię tuę ignicu-

los,

los, quos in me, totamq; gentem meam excitatos noui, restingui ne patiare.

Datæ Vitebergæ Ex Musæo nostro 10. Calendas Maij. A. D. 1585.

Amplitudinis tuæ.

obseruantissimus.

Petrus Monedulatus Lascouius,
Vngarus, communi gentis
suæ nomine.

LECTORI CANDIDO. S. P. D.

SI rerum naturalium, Lector beneuole, studiosi perscrutatores, veluti Plinius, qui parens historiæ naturalis à scriptoribus perhibetur, & alij multi, qui plurimum operę in diligenti inquisitione animalium rationis expertium, plantarum, herbarum, fruticum, arborum, gemmarum, & his similium consumserunt, laudem & gloriam suarum lucubrationum consecuti sunt; quo magis industria & solertia eorum laudanda probandaq; est, qui naturam hominis diligenter quoad in *hac caligine humanæ mentis* fieri potest indagando perscrutantur? Quanto etenim homo reliquis omnibus creaturis præstat, propterea, quòd ad imaginem & similitudinem Dei conditus est; tanto etiam eorum studium est omnibus aliis anteferendum, qui id inprimis dant operam, vt ob oculos quasi proponant mortalibus, quid de hoc præstantissimo Dei opificio sit sentiendum. Quid namq; est, aut tàm admirabile, aut tàm iucundum cognitu, quàm pulcherrimam humani corporis structuram, & quod majus est, illustres animæ facultates ac vires rite tenere? Equidem nihil hu-

manæ naturæ aptius, nihil vitæ conuenientius nihil ad benè beateq; viuendum accõmodatius, nihil deniq; homine dignius est, quàm quid suum esse sit singulari mentis acumine pervestigare. Hæc est veræ demum ac solidæ sapientiæ pars non postrema, quæ nos cùm cæteras res omnes, tùm quod est difficillimum docet, vt nimirum nosmetipsos noscamus. Cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est (vt testis est Cicero) vt ea non *homini* cuipiam, sed Delphico Deo tribuatur. Seipsum enim agnoscens primùm diuini quippiam se habere animaduertit ingeniumq; apud se suum tanquam simulacrum quoddam esse diuinæ sapientiæ intelligit, præterea accuratiùs seipsum perspiciens agnoscit, quomodo à Deo suborn-
1 *de legibus*
atus in vitam venerit, atq; in quem finem creatus sit, vt videlicet Deum authorem *suum* agnoscat, celebret & glorificet. Quæ omnia dum saniores rerum indagatores penitiùs secum reputarent, alij ex his hominem magnũ miraculum alii μικρόκοσμον, alij diuinum animal appellare non dubitarunt. Sed quamobrem magnum miraculum? Omnia sanè cùm in corpore tùm potissimum in anima plenissima sunt admirationis. Nullum siquidem animal tam elegantem concinnamq; membrorum dispositionem habet, ac homo, qui est statura erecta præditus, cùm reliqua omnia in terram sint depressa animantia juxta illud Ouidii?

Pronaq;

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit & erectos ad sydera tollere vultus.

Vel ex speciosissima ergo corporis figura judicium ferre possumus, meritò hominem magnum miraculũ dici. Deinde si quis animo diligentiùs ventilet quanta sit animæ vis & efficacia, multo magis cogetur vel invitus fateri verissimè dictum hominem esse miraculum magnum. Vt enim Avicẽna & Platonici multi, & Hippocrates memoriæ tradiderunt, humani animi tanta naturæ majestate pollent, adeoq; supra materiam omnẽ sese potenter attollunt, vt sibi ipsis & suo vigori semoto corpore restituti potestate intima mundi membra quælibet valeant agitare, impellere, & vtcunq; *libuerit versare, ac corpori cuilibet latiùs dominari, tantoq; potentiùs proprio.* Quæ vt vt sint, dubium tamen est nemini excellentes esse animæ potentias, vt intelligere, ratiocinari, verum à falso & bonum à malo discernere. Cur prætetea μικρόκοσμος? Quemadmodum imago Dei mundus est: Sic imago mundi homo est, qui tamen anima comprimis Deum, corpore verò mundum repræsentat, estq; particeps tàm terrestrium, quàm cœlestium rerum omnium, & ob hanc causam μικρόκοσμος dictus est, hoc est minor mundus, quod quoniam author horum librorum

Cornel. Agrippa. de occul. philosoph. fol. 406.

perſpicuè ac copiosè declarat & explicat, non neceſſe habeo pluribus perſequi, ideoq; pro ratione ſuſcepti argumenti per tranſennam quaſi attigiſſe ſufficiat. Deniq; quid eſt cauſæ, quod diuinum animal nuncupatur? Hoc fit non ratione ſubſtantiæ, ſed qualitatis, quatenus nimirùm homo diuinis donis ornatus, & ad imaginem Dei creatus eſt. Homo namq; intellectus luce diuinitus donatus multa intelligit, & cõtemplatur, quæ reliquis creaturis prorſus abſtruſa ſunt & in uererſum ignota ſ, quà ſanè parte fretus immortalitate potitur, atq; tantam diuini opificis ſimilitudinem & imaginem refert, vt, quàm primum ex his voluptatum ſordibus fuerit liberatus, cum Deo ipſo commercium ſibi fore ſtatuat. Homini enim diuino beneficio data eſt intelligendi poteſtas, quâ quidé rùm diuina, tùm humana creatorem ſuum imitatus contemplatur, & uniuerſa cum ratione agere poteſt. Ineſt in homine mira ingenii aptitudo, quæ tantam habet efficaciam, vt ex tempore numeroſiſſimam rerum ſeriem comprehendere poſſit. Eidem memoria eſt adjuncta, quæ à celeberrimis authoribus rectiſſimè theſaurus rerum arbitratur. Inſumma ex omnibus animantium generibus & naturis, vt appoſitiſſimè Marcus T. docet, homo tantum factus eſt rationis & cogitationis particeps. Quamobrem quis hoc non jure concedat, vt, cum homo maximè

omnibus

omnibus creaturis antecellat, summè in ejus consideratione elaborandum esse existimet? Quid tam porrò necessarium, quàm tenere, quid divina illa sententia, quam & Philosophi & Theologi non sine causa semper commendarunt, γνῶθι σεαυτὸν in se complectitaur? Nihil certè minus homini convenire videtur, quàm sui ipsius cognitionem negligere. Si enim turpe ignorare ducitur, quæcunq; ad humanæ vitæ rationem spectant, multò profecto fædior ac turpior est ignorantia nostri, qua fit, vt immemores tum officii seu vocationis, quàm sortis nostræ & in Deum ingrati & in proximos contumelioſi ac invidi reddamur. Hinc odium in Deum & proximos, hinc præsumptio, hinc inanis gloriæ cupiditas, hinc denique omnis impietas veluti ex scaturigine quadam promanat. Quantum verò momenti afferat & vitæ rationi rectè ineundæ, & pietati, nostri cognitio, quæ publico omnium mortalium sensu, Dei etiam veritate adstipulante secunda sapientiæ nostræ pars verissimè perhibetur, vel ex scriptis patrum palam est. Sic enim inquit, Basilius: Accurata cognitio tui ipsius sufficienter te manu ducet ad notionem & contemplationem Dei. Hugo item lib. 3. cap. 6. Frustra Deum videre nititur, qui ad videndum se ipsum inutilis reperitur. Idem innuere videtur Chrysostomus cum ait; Qui Deum vult nosse, seipsum cognoscat necesse

est. Ex quibus manifestum evadit Dei & nostri cognitionem connexam esse. Nemo enim se potest aspicere, quin protinus sensus suos ad intuitum Dei in quo (vt testatur Apostolus) vivimus, movemur & sumus, convertat, unde certò colligit dotes eximias, quibus cumulatissimè est à Deo exornatus, nequaquam à se esse, imò ne id quidem ipsum quod est, aliud esse, quàm in Deo Opt. Max. fonte perenni omnis boni subsistere. Quid igitur preciosius? quid utilius? quid gratius? qtrid deniq; augustius cognitione nostri dici aut excogitari potest? Hæc siquidem manu ducit nos ad Dei cognitionem, quæ à singulis & uniuersis seriò requiritur. Quæ verò & quantæ utilitates ex Dei cognitione nobis proveniant cùm in hac, tùm in fututa vita quivis sanæ mentis secum perpendere potest. Verùmenimverò dicet fortasse aliquis: *Intelligo nostri* cognitionẽ per necessariam esse ad Dei cognitionem, sed quęso ubinam ea sita est, nostri videlicet cognitio? Primò non alibi, quàm in diligẽti consideratione nobilitatis generis nostri ante lapsum primorum parentũ, vt nimirum memores simus quanta naturę nostrę fuerit excellentia, & præstantia, quã Deus præ cæteris creaturis soli homini contulerat. Atq; inter omnia hominis ornamẽta, quibus affatim erat ditatus, nihil excellentius, nihil præclarius, nihil demum maiorĩ admiratione dignus erat, quàm quòd ad

imagi-

ginem & similitudinem Dei conditus erat habēs potestatem super omnes creaturas sublunares dominandi, ut esset Secundarius quasi Deus & imperator mundi, unde Psalmista *Psal.8,v.7.* eleganter cecinit: Constituisti, inquit, eum, Domine, super opera manuum tuarum, & omnia posuisti sub pedibus ejus.

Quare si constanter homo in eo mansisset statu, in quo conditus fuerat, nihil, neq; pulchrius, neq; admirabilius, neq; omnino felicius ac beatius in universitate rerum absolutiúsve fuisset. Verùm quid hanc nobilitatem generis nostri interest scire? Plurimum refert. Hæc siquidem conditionis nostræ felicitas incredibile desiderium prioris innocentiæ studiúmq; eius recuperandæ in cordibus nostris excitat, ut scilicet ingemiscendo ad amissam *illam dignitatem suspiremus*, votisq; ardentibus eam consequi contendamus. Adhæc cognitio nostri respicit miseram illam nostram post Adæ lapsum conditionem, cujus sensus ostendit quendam calamitatum omnium in homine mundum reperiri. Inde liquet quales simus in præsentia in natura nostra nempe peccatores, impuri, lernæ malorum omnium. Quorsum hoc? Vt exosi peccatum quod in nobis videmus, illudq; abominati confugiamus ad portum salutis nostræ Christum, quò ab eo liberemur, & veram justiciam ac sanctitatem induamur: atq; cognita

gnita noſtræ naturæ imbecillitate, malitia & ad peccandum propenſione, ſtudioſius peccata caveamus, neve fræna cupitatibus carnis noſtræ laxemus. Poſtremò hæc eadem noſtri cognitio innuit quales eſſe debeamus. Quales? Quales eramus initio antequam primi parentes ſeſe à Deo averterent, innocentes, juſti, caſti, ſancti. In quem finem? Vt implorantes ſancti ſpiritus auxilium diligentem perpetuamq; navemus operam huic innocentiæ, iuſtitiæ caſtitati & ſanctitati recuperandæ.

Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt magnopere cognitionem ſui neceſſariam eſſe quibuſvis hominibus. Ideò verò dignitatem, præſtantiam, neceſſitatem, vtilitaiem & jucunditatem aſſumpti argumenti paucis attigi, vt in tabella quaſi oſtenderem eorum induſtriam & operam approbandam eſſe, qui de homine ſcripſerunt, aut ſcripturi ſunt. Quare iuſtum & æquum eſt, ut benevolus Lector, hanc quoq; opellam præſentis authoris de homine æqui boniq; conſulat. Nam etſi multi multa de homine monimenta reliquerunt, quæ ſane ſummis evehenda laudibus, ſtudioſeq; evolvenda cenſemus; tamen, cum in vnoquoq; doctrinæ genere nihil adeo omni ex parte perfectum & elaboratum eſſe exiſtimemus, quin aliis quoq; locus ulteriùs & aquiſitiùs diſcutiendi doctrinæ iſtius partes illutrandiq; eaſdem, vel addendi quoq; de ſuo aliquid

quid relictus videatur, etiam hujus authoris nostri studium improbandum minimè fore confidimus, qui variis in unum locum coactis scriptoribus, quod quisq; de homine cõmodissimè tractasse videbatur, indefesso labore inde excerpsit, atq; ex variis ingeniis optima quæq; libauit, ex iis nimirum, quæ nomine & memoria digna sunt tam inter doctissimos Theologos, quàm inter saniores Philosophos. Nominatim autem cujusq; sententias magna conquisitas cura perspicuè literis mandavit diligenterq; enodando expositit. Neq; est mediocre artificium meo quidem judicio, nec labor exiguus res tantas & tot controversiis implicatas præsertim de anima in variis authoribus & scriptis sparsas sententiisq; discrepantibus traditas ita prudenter eligere, atq; *suo loco* ponere, *ut* unum quodque maxime ad *institutum* accommodatum esse videatur; ut idcirco hoc opus laboriosum authori fuisse & artificio peculiari non carere, merito statuamus. Et profecto si laudis est, artificiosè scripta intelligere, lõge maiorem laudẽ aliquid artificiosè scribens & colligens memerebitur. Tanta autẽ brevitate perspicuitate methodo præterea accõmodata in hoc genere scripti usus est author, utqui, quid de partibus hominis corpore scilicet & anima sentiendum sit, velit cognoscere, ad hunc veluti planum explicatorem se conferre tutò possit, quod quidẽ

ipsum in serie hujus tractationis æquus Lector certò cõperiet. Neq; verò author hujus operis spe quæstus aut gloriæ commotus animum ad scribendum appulit, quemadmodum permulti faciunt, sed memor cùm finis honestorum studiorum, tùm prudentissimi ac grauissimi Viri SAMVELIS SELFISCH Bibliopolæ, consulisq; VVitebergensis beneficiorum & in se privatim & communiter in Vngariam nostram gentem, quæ liberalium artium honestarumq; disciplinarum causa in hanc celeberrimam Academiam se conferre solet, à multis annis collatorũ gratitudinis & pietatis suæ sempiternum extare voluit testimonium.

Quamobrem si candidus lector & intentionem authoris, quæ gloriam & laudem Dei, vtilitatem ac emolumentum juvẽtutis & Ecclesiæ, meritorum deniq; clarissimi viri in nostram nationem profectorum memoriam spectat, & laborem atq; vigilias ejusdem æqua lance trutinaverit, quod quidem facturum esse speramus, hanc lucubratiunculam grato accipiet animo, neq; eum unquam lectionis istius pœnitebit. Sin verò aut aliquid præterisse, aut non juxta mentem cujuslibet expressisse author videbitur (Non enim eadem est omnium sententia) id totum in bonam partem candidè interpretetur suoq; judicio liberè utatur. Bene vale.

Andreas Carolinus Vngarus.

EPIGRAMMA
ejusdem ad lectorem.

Si iuvat in plantis tacitas perquirere causas,
Vnde capit fructus mens generosa bonos:
Certè operæ precium est homini se nosse, suumq́,
Ortum, quô norit quid velit ipse Deus.
Hæc mens dispiciens, causas finesq́, pro bandos
Eruit, & monstrat dulcis imago Deum.
Inspice vel pulchros, Lector, sed corporis artus,
Protinus artificem testificatur opus.
Duc age in extremas à puncto corporis oras,
Formam iam cœli circulus ille dabit.
Atqui nulla hominis tenet admiratio mentem
Maior, quàm quæ animæ de ratione manet.
Scilicet, esse hominem non solùm ex corpore, constat
Verùm etiam ex anima, quæ ratione valet.
Esse in corpoream mentem cum corpore iunctam
Asserimus verbis asserimusq́, fide.
Hæc nobis vitam tribuit sensum simul affert,
Ne corpus tanquam pondus inane foret.
Et, quoniam est anceps sententia spiritus unde
Sit, datur arbitrio sensa referre tuo.
Non igitur melius studium non gratius ullum
Esse potest homini quam meminisse sui.

Aliud

Est uetus & uerax sententia, γνῶθι σεαυτὸν,
Quæ nisi perstiterit, uita manere nequit.
Vita etenim nulla poterit ratione manere,
Sint anima & corpus nil ualitura benè.
Sic Deus has hominis partes contexuit ambas,
Altera vt alterius partis egeret ope,
Ac uelut illa quidem cuius sit originis, unde
Venerit, è cœli culmine nempe poli.
Sola Dei solo uerbo patefacta uoluntas
Pandit, & ad rectam dirigit illa uiam.
Sic etiam hanc, animæ qua sit ratione regenda,
Quoq; modo ex limo venerit illa sata.
Sola sacris contenta libris uox regis Olympi
Explicat, huic nostrum credere quemq; decet.
Quilibet est parua μικρὸς sub imagine κόσμος
Dante Deo, in partes diuidi turq; duas.
Quas hic, diuini referans Pia dogmata verbi
Explicat, & mira diuidit arte, liber.
Hunc igitur librum lector lege candide, μικρὸν
Is magna κόσμον dexteritate docet.

Isaac Fegvernekinus
Vngarus

ALIVD.

Εἰπὲ δέ, ἀνθρώπων τίνος ἐσθ' ὁδὲ βίβλος ἃ
Μουσάων ἁθέων κοιρανέουσι χορός. (ε
ὃς μάλα παντοδαπῶς λάμπων τέχνησιν Ἀθή
τῆλε φίλης πάτρας ἄστεα πολλὰ ἰδών. (ν
ἠδέκεν εὐσεβέων πέλεπεν προφιμόστε γονόστε
καὶ μέγα μᾶνος ἑοῖς νυνὶ πεφασαξε κλέος
τὔνεκεν εἰν βίβλῳ σοφίης πλεῖ' ἐγγυαλίξῃ
αὐθὶ ὀπηδοῖσιν λαοσσόιο θεῦ.
ἐνθάδε νῦν δεῦθ, ὥσπερ ἐνὶ σήμασι φίλοισιν
φαεσβοσύνης ἔλδωρ χεῖρας ἔθηκε κακῆς.
σῶμα δὲ καὶ μέσσης ψυχὴν ἐνὶ ὄμμασιν ὄψει
ἠσύ αὐὴρ δεδαὼς μειλιχίοισι λόγοις. (τ
εὖ χάρεν, ἀνθρωποι τῷ χείλεα λύσατε μύθῳ
Δήσων Πέτρος ὁρᾷ ἠελίοιο φάος.
ἠδ, ἔοθεν μόχθων ἁγίων πατὶ δέξετ' ἀμοιβὴν
παὶρ θεοτέων φήμης ἀθανάτοιο λαχών.

Iohan Budæus

Aliud

Sydera ſtelligero quali ratione ſub axe
Verſentur, leges Minois & acta Lycurgi
Omnia cognouit Samiæ telluris alumnus.
Verùm animam mortalis homo quo tempore pri-
Quoq; authore Deo, quali ratione modoq; (mùm,
Hauſerit (*indignum*) *potuit cognoſcere nunquam.*
Nam velut hæc triplicis ſine origine mœnia mundi:
Sic genus humanum Samius ſine origine dixit.
Senſit idem clarus vates ab Ariſtone natus,
Aſcræusq; ſenex, & quos memorare pigebit:
Quos tu, ſeu triplicem, ſeu parvum noſcere mundum,
Sive ortum doceas animæ, corpusq; caducum,
Sive hõrum vires, vincis doctiſsime Petre.
Nec ſanè immerito, velutinam ſpiritus artus:
Sic hominum ſophian longè ſacra pagina vincit.
Iſtius expertes illi, tu ſervus Ieſu.
Sic igitur potior rationibus cruis atra
Nube latens verum varios lectoris ad uſus.
Macte bonis animi, Petre ô doctiſsime, clarus
Ingenio magnis ſtudiq; laboribus eſto,
Perpetuos veræ retinens virtutis honores.

Matthias Buza Iulanus Vngarus.

Aliud

Qui maris & terræ cœliq; agnoscere Regem
Atq; creatoris cernere auebit opus:
Ille theatra suos oculos ad splendida mundi
Tollat, & hinc poterit mente notare Deum.
Quicquid enim tellus, quid habent uaga sydera cæli,
Cuncta solent summi signa referre Dei.
Nil tamen humano præsentius enitet usquam
Corpore, tam certò quod docet esse Deum.
Hunc pater æthereus postquam de puluere terræ
Condidit, in cælo iussit habere locum.
Hic meritò dictus Deus est mortalis, & idem
Immortalis homo: Nam sine fine manet.
Aspicias hominis corpus mentemq;, videbis,
Cuncta Deum docta composuisse manu.
Corporis vt speculi declarat imago figuram:
Sic hominem forma crede referre Deum.
Hæc tenuisse animo pulcrum est, prodestq; tenenti,
Ne casu mundum quis uiguisse putet.
Quare, si Dominum de rebus in orbe creatis
Noscere tentatis, præstat id unus homo.
Et quoniam, nostri qua constent corporis artus
Lege, nimis magno nosse labore datur:
Assidua hunc, hominis partes qui tramite certo
Pertractat, librum volue reuolue manu.
Inde preces iungas, annis vt Nestora uincat
Author, & ingenio pluribus addat opem.

Iohannes Nemethinus
Vngarus.

CAPITA LIBRI PRIMI.

I. De multiplici vniuersi seu totius mundi diuisione.

II. Ex mundi triplicis admiratione omnem cognitionem & præsertim naturalem natam esse.

III. Inter mundum triplicem post intelligibilem μικρόκοσμον maximè esse admirabilem.

IV. Cur homo à veteribus Græcis μικρόκοσμος, à Iesu Christo vniuersa creatura, à priscis sapientibus magnum in hoc mundo miraculum appellatus sit.

V. De partibus essentiam μικροκόσμου siue parui mundi, hoc est hominis constituentibus.

VI. De opificio animæ, ac primum de multiplici facultatum eius diuisione.

VII. An sit in homine rationalis anima.

8. De essentia animæ rationalis, an sit duntaxat, crasis vel qualitas evanida, aut corpus aliquod naturale?

9. Si anima non est qualitas tantùm, neq; corpus, sed essentia spiritualis, An igitur sit de essentia Dei?

10. Si anima non est pars diuinæ essentiæ, an igitur ante mundum olim condita, asseruetur in Apotheca diuini thesauri in cœlis?

11. Si animæ non asseruantur olim conditæ in cœlis, an igitur, vt corpora per vim seminalem traducantur, vt quidam censent.

12. Si animæ (vt contra quidam existimant) non propagantur per vim seminalem vt corpora, an igitur quotidiè creatas nascentium corporibus Deus infundat.

13. Si Deus animas quotidiè (vt alij censent) infundit, vbi est sedes animæ in corpore?

14. An corrupto corpore, simul corrumpatur anima, an verò sit æterna & immortalis.

15. Si anima corrupto corpore non corrumpitur, an igitur de corporibus ad corpora transeat.

16. Si anima à corporibus non transit in corpora, an igitur in mundo hoc sublimari oberret.

17. Si anima non oberrat in mundo sublunari, an igitur deferatur ad purgatorium.

18. Si animæ non deferuntur ad purgatorium, vbi ergò interea earum est sedes & quies donec rursus sua assumant corpora.

19. Si animarum quies & sedes est in cœlis cum Christi consortio, an igitur ibi orent & intercedant pro nobis in hac vita constitutis.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

I.

De opificio humani corporis, An corpus sit carcer & locus tormentorum, vbi animæ pœnas luant propter præmissa scelera.

II.

De perfectione & pulchritudine humani corporis, quam causa materialis & efficiens ob oculos ponit.

III.

De perfectione humani corporis, quam concinna partium exteriorum collocatio ob oculos proponit.

IIII.

De perfectione & pulchritudine humani corporis, quam figura, statura & proceritas eius ob oculos nobis proponit.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

DE VARIA VNIVERSI SIVE MVNDI TOTIVS divisione.

MVNDVS MAIESTATIS *diuinæ augustißimum opificium, qui à sapientißimo artifice Deo Opt. Max. verbo quo iußit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, tanquam regia quædam ad excipiendum Regem* (a) ἐκ τῶν μὴ φαινομένων *compactus est, ornatus est & complexio vniuersi* [b] *Plinio &* [c] *Ciceroni;* [d] *Aristoteli autem,* [e] *Vitruuio,* [f] *Plutarcho,* [g] *Platoni, Pythagoræ &* [h] *Alcinoo summa omnium Naturæ rerum conceptio.*

Etsi autem mundus hic materialis atq; visibilis, à Platone in Timæo, Aristotele libro primo de cœlo capit. 8. & 9. Mercurio Trismegisto in Pimandro, Pomponio Mela in initio historiæ, Marsilio in Platonis Theologia contra atomos Democriti & Epicuri (qui authore Diogene Laërtio libro 10. in vita Epicuri ratus est infinitos esse mundos

a Heb. 11. vers. 3.
b Plinius li. 2. cap. 1. & 8.
c Cicer. de Som. Scip. de
d Aristot. de mund.
e Vitru. li. 9. Archit. cap. 4.
f Plut. lib. 1. de plac. Phil. cap. 1.
g Plato in Timæo.
h Alcin. de doctrina Plat cap. 13.

dos) vnicus saltem esse comprobetur: multipliciter tamen ab antiquitate olim distinctus fuit.

Mundus duplex Aug. lib. 3. contra Acad. cap. 17.

Ac principio quidem Plato, teste Augustino, duos esse mundos docuit: alterum νοητὸν, alterum αἰσθητὸν, hunc verum illum verisimilem vocabat. Mundum νοητὸν vocat intelligibilem, mente solum comprehendendum, in quo Deum cum intelligentijs habitare tradit: Hunc Hebræi voce רמים intelligendum proponunt, vt Iob 21. videre est. Et Augustinus libro primo capite vndecimo de Ordine ita de eo loquitur: Esse autem alium mundum ab oculis remotissimum, quem paucorum sanorum intellectus intuetur, satis Christus significat qui non dicit, Regnum meum non est de mundo, sed non est de hoc mundo: quaq; idem Augustin. lib. retract. cap. 3. quid his verbis sibi velit, expressius docet: Mundum αἰσθητὸν appellat Plato, qui in hos sensus cadit, supremo illi inuisibili mundo subiectum. Hunc Augustinus Tom. 3. libro de Spiritu & Anima quinq; partitè diuidit in terram, aquam, aërem ætherem, & firmamentum. Atq; hanc mundi considerationem ex eo etiam Theologi colligunt, quod in mysterijs diuinæ sapientiæ duæ reperiantur Hierosolymæ, altera terrena, altera cœlestis, duæ Paradisi, duo Adami, duo sanctuaria & templa, duplex hæreditas duo regna, duo sacerdotia, Israelitarum genera, bi-

Quid sit mundus νοητὸς siue intelligibilis.

Iob. 21.

Augu. lib. 1. de Ord. cap. 11.

Mundus αἰσθητὸς sensibilis quis.

Aug. tom. 3. de spiritu & anima cap. 4.

Esa 65. v. 18. Apoc. 21. v. 2. Apoc. 21. v. 3.

ra, bipartita terra, duo genera aquarum, duplex ignis & lux, duo inferna, alter corporatus, in quo corpora mortuorum humantur, alter spiritualis, in quo qui versantur mortui, vita Dei & Messiæ luce carent. Ex hoc bipartito rerum genere concludunt, duos similiter mundos esse, aspectabilem αἰσθητὸν & inuisibilem νοητὸν. Cæterum nec Cabalistas hæc mundi distinctio latuit, qui ex primo versu capitis primi Geneseos duos mundos conficiunt, vnum corporeum, sensibilem, visibilem, materialem & inferiorem, qui à Platone αἰσθητὸς vocatur: Alterum incorporeum, inuisibilem, intelligibilem, idealem & superiorem, qui à Platone νοητὸς dicitur: putant enim symbolicè per cœlum superiorem mundum, per terram inferiorem apud Mosen denotari. Quare hunc versum ita interpretantur: In principio creauit DEVS summa & infima, quam interpretationem ex eo quoq; veram esse volunt, quòd prima litera in בראשית *Bereshith, Beth nimirum in Arithmeticis numeris duo denotet, Quamobrem concludunt in hunc modum; Duo principaliter creauit Deus, mundum superiorem cum omnibus in eo degentibus, & mundum inferiorem cum omnibus sub eius ambitu comprehensis.*

Iohannes Picus Mirandulanus in præf. Heptap. duplici hac mundi consideratione minimè contentus triplicem, ex consensu vetustatis recenset

Alia mundi diuisio ex Pico Mirandulano.

mundum. Primùm ſupremum omnium & vltramundanum vocat, qui à Theologis Angelicus & inuiſibilis, à Philoſophis νοητὸς intellectualis vocatur. Secundum ſupremo proximum cœleſtem vocat, qui Philoſophis incorruptibilis nominatur. Vltimus atq; infimus ſublunaris mundus eſt, quem Philo in libro de congreſſu quærendæ eruditionis gratia fol. 286. in nouem diſtribuit partes, dum ait: In nouem partes mundus diſtribuitur: octo in cœlo, ſupremum orbem, & ſeptem reliquos erraticorum ſiderum ſimiles curſus habentium, nonam autem terram cum aqua & aëre. Videtur autem Moſes triplicem hunc mundum in admirabilis illius tabernaculi conſtructione euidentiſsimè figuraſſe: totum ſiquidem tabernaculum partitus eſt in tres ordines, quorum ſinguli tres de quibus diximus mundos expreſsè repræſentant: Prima etenim illa tabernaculi pars, quæ nullo inuoluta tecto, ſoli, calori, frigori atq; imbribus obuia erat, ſublunaris huius, in quo nos habitamus, mundi ſimulacrum referebat. Quemadmodum enim in hac tabernaculi parte, homines mundi & immundi, ſacri & prophani promiſcuè verſabantur, & ſacrificia ac iuges immolationes fiebant: ita quoq; in hoc noſtro ſublunari mundo, non homines modo pij & impij ac omnifaria animalia ſub imbribus, variisq; huius mundi calamitatibus degunt, ſed & mactationes,

Philo in libro de Congreſſu quærendæ erudit. gratia.

hoc

hoc est, ipsam mortem, deniq; varias rerum omnium vicissitudines experimur. Secunda autem illa tabernaculi pars, quæ sanctitatis duntaxat nomine (ob id quod populi sanctificati erat locus) vocabatur, secundum illum cœlestem repræsentat nobis mundum, qui quamuis sanctus sit locus, quippe in quo posti lapsum Angelorum, nec peccatum neq; macula vlla extitit: ita nihilominus nomen obtinet sanctitatis, vt longè hoc sanctior sit mundus ille, qui omnium supremus & inuisibilis vocatur. Quamobrem tertia eaq; præstantissima tabernaculi pars, quæ non simpliciter sancta, sed Sanctorum sancta dicebatur, supremum hunc & inuisibilem mundum, haud incongruè nobis depingit, quemadmodum & Paulus in epistola ad Hebræos palàm apertèq; testatur. Cabalistæ & Thalmudistæ, hac rursus triplici distinctione minimè contenti, quadrupliciter mundum figurant, teste Reuclino libro primo de arte Cabalistica: Alium enim mundum vocant informem, alium formalem, alium materialem, alium denique עולם הקטן, *Græcè* μικρόκοσμον, *Latinè paruum mundum.*

Tertia mundi diuisio Cabalistarum.

Reuclinus lib. 1. de art. Cabal.

Informem siue ὑπερτώπατον, *hoc est,* (*vt vertit Reuclinus*) *supersupremum, vel si dicere liceat supremissimum, vocant incomparabilem & diuinum, Deum nimirum ipsum, omni forma visibili carentem. Ob id etiam hic mundus à Ca-*

baliſtis mundus Deitatis vocari ſolet, & omnium maximus, potens & reuerendus. Ante creationem enim quod reuera extitit, magnus eſt, in creatione verò potens, poſt creationem in conſeruatione reuerendus. Vnde hunc modum incomparabiliter ſummum vocant ex vna Deitate & tribus perſonis, quaſi ex ſumma eſſentia ſine fine extenſum; neq; enim concauus eſt ille mundus, neq; conuexus, nec carinatus, nec ſuperficiem vllam habens. Quare non ab re à Cabaliſtis Euſoph, id eſt, infinitudo, quæ eſt ſumma quædam res, ſecundum ſe incomparabilis & ineffabilis vocari ſolet. Hic nimirum ille eſt mundus, qui à Platonicis exemplaris & Archetypus à nonnullis vocatur, de quo poſtea dicemus, in quo ſummam concordiam & pacem vigere apud Hiobum cap. 25. v. 1. 2. dicit Suhita.

Formalis mundus vocatur à Cabaliſtis ſuprema illa intelligentiarum ſeparatarum regio à Thalmudis שכלים כפרדים hoc eſt, mundus, formis, ſpeciebus & mentibus ſolutis atq; angelis ipſis amabilis, omnium vitarum idea cenſetur. Quamobrem ab ijſdem Cabaliſtis, terra vniuetium vocari ſolet, ob id, quod in eo principium lucis, vitæ, motus & caloris ſpectetur.

Quid ſit mundus materialis.

Materialis mundus à Cabaliſtis vocatur vniuerſum hoc corpus, quod, vt Ariſtoteli in libro de mundo placet, globum ex cœlo, igne, aëre, aqua

&

& terra & naturis in ijs contentis constituit Quamobrem hunc ex elementis atq; elementatis conflatum esse constat, in quo pariter rerum generatio & interitus, variæq; mutationes earundem & vices cernuntur. De mundi huius vanitate disserit Salomon Eccles. cap. 1. vers. 2. Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes & omnia vanitas. Et idem Salomon vbi præcipuè hæc vanitas cernatur indicat vers. 14. Vidi omnia opera quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa sunt vanitas & afflictio spiritus. Eccles. 1. vers. 14. Eccles. 1. vers. 14.

Μικρόκοσμος deniq; siue paruus mundus, vocatus olim est à Philosophis omnium rerum creatarum epitome homo, qui à Cusano tom. 1. de ludo globi lib. 1. paruus licet, perfectus tamen dicitur esse mundus, quod quæ vniuersum habet vniuersaliter, habeat & homo particulariter propriè & discretè. Sed de huius appellationis ratione a nobis postea dicetur fusius, Nunc illud nosse sufficiat, quadruplicis huius mundi mentionem etiam Moysin in historia creationis feciisse, non obscurè colligi posse. Etenim cum hoc modo exordiatur; In principio creauit Deus: Dei appellatione beatissimum illum, summum & ineffabilem à DEO Messia, & vt Suhitas apud Iobum ait, exercitibus DEI inhabitatum mundum exprimit. Quibus verbis dum cœli appellationem subijcit, cœlestem haud dubie mundum & Gene. 1. v. 1.

formalem,

formalem, qui cœlum continet, denotat, præsertim cùm id quod prius cœlum vocauit, mox רקיע *Rakia siue expansionem vocet, quod vetus interpres impropriè firmamentum vertit: Non enim* רקיע *Rakia firmamentum, sed magis expansionem, vt Fagio placet, siue extensionem significat. Huic mundo sublunarem subiecit Moses, cùm apertam terræ mentionem facit, quo ipso σωεκδοχικῶς totum hunc materialem mundum comprehendit. Ac terræ solius appellatione non contentus addit eam fuisse* תהו ובהו *vt Hieronymus vertit inanem & vacuam, aut vt alij rectiùs informem siue desolatam. Quomodo autem fuerit desolata rectiùs expressit paraphrastes Chaldæus, qui habet: Et vacua erat hominibus & iumentis. Ob id Moses opera sex dierum subiungit, quibus sublunaris hìc & materialis mundus à Deo conditore absolutus fuit, & miranda rerum quamplurimarum varietate refertus. Tandem in historia diei sextæ ad descriptionem vltimi mundi, qui μικρόκοσμος est, nempe hominis accedit, quem peculiari Dei consilio formatum sic introducit: Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, nempe vt in paruo hoc & infimo mundo expressa imaginis suæ vestigia collocaret, quemadmodum & in mundo intelligibili siue informi proprium diuinæ imagini locum constituit.* Paulus

Paulus Scallichius in opere quem de diuisione mundi inscripsit.

Paulus Scallichius in opere peculiariter huic rei destinato, præmissis mundi distinctionibus non contentus, sextuplicem ipse mundum recenset: Archetypum, Intelligibilem, Cœlestem, Elementarem, minorem & Infernalem.

Mundum Archetypum ex Platone desumpsit, qui rationem ipsam in mente Dei sempiternam atq; incommutabilem ceu exemplar huius mundi statuit, ob eam etiam causam sæpè mundum hunc exemplarem vocat. Deus enim (vt Philo ait) vbi pro sua Deitate præuidit imitamentum pulchrum non posse absq; exemplari pulchro existere, nec sensibile quidquam citra exceptionem probari posse, quod non Archetypo intelligibilis ideæ respondeat, postquam decreuit visibilem hunc mundum condere, prius formam, simulacrum eius intelligibile, vt ad exemplar incorporei Deoq; simillimi corporeum absolueret mundum concepit. Mundum autem illum, qui ex ideis constat, nefas est, loco vllo dicendo, cogitandoue conscribere: sciemus tamen quo pacto consistat, si considerauerimus aliquam rerum nostratium similitudinem. Nam quoties condenda est vrbs cura Regis alicuius aut Imperatoris, præsto est quispiam peritus Architectonicæ, qui contemplatus loci oportunitatem, primùm intra seipsum futuræ vrbis partes propemodum

omnes

omnes delimat, templa, gymnasia, curias, fora, portus, naualia, vias, angiportusq3, mœniorum situm & ædificiorum tàm priuatorum, quàm publicorum. Deinde impressis velut in ceram in suum animum singularum rerum imaginibus, effingit vrbem intelligibilem, cuius effigiem innata retractans memoria, atq3 ita impressis sibi magis etiam simulachris, vt bonus artifex, semel propositum exemplar respiciens, aggreditur designatam suam structuram, è saxis & materia repræsentans incorporeas illas ideas singulis operis partibus. Eodem fermè modo de Deo, sentiendum est, qui vbi decreuit, ingentem hanc vrbem condere, prius formas eius concepit, ex quibus postquam mundum intelligibilem constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc condidit. Hactenus Philo, ex quibus quid intelligibilis & Archetypus mundus sit, quiuis sine vllo negocio intelliget.

Cœlestem itaq3 mundum vocat Scalichius quem Augustinus libro 1. de spiritu & anima cap. 4. ex orbibus cœlestibus, puta ☽, ☿, ♀, ☉, ♂, ♃, ♄, *sphæra stellarum fixarum & orbe extremo constare dicit.*

Elementarem appellat quatuor elementorum orbes, ignis, aeris, aquæ, terræ, quorum vt Phus ait. duo ad medium, duo à medio mouentur.

Μικρόκοσμον hominem appellat.

Infernalem deniq3 mundum vocare videtur, quem

quem Homerus describit lib. 8. Iliad. vers. 13. vbi Iouem inducit minantem flagra vnicuiq; ex Deiculis, qui opem Troianis esset laturus.

ἢ μιν ἐλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα (τρον:
τῆλε μάλ', ἢχι βάθιστον ὑπὸ χθονὸς ἐστὶ βάραὐλαὶ σιδήρειαι, ἠδὲ πύλαι, ἐ χάλκεος οὐδός,
τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσσον οὐρανὸς ἐς ἀπὸ γαίης.

Aut ipsum rapiens proïciam in tartarum obscurũ. Procul valdè, vbi profundissimum sub terra est ba- Vbi ferreæq; portæ, & æreũ pauimentum, (ratrũ. Tantum sub inferno, quantum cœlum est à terra. Augustinus tomo 9. libro de triplici habitaculo capite 1. consideratione accuratiore visibilis huius mundi deduci eò videtur, vt triplicem esse mundum sentiat, dum sic loquitur : Mundus hic qui inter duo extrema medius est nonnullam habet similitudinem ad extrema. Habet enim lucem, tenebras, calorem, frigus, dolorem, sanitatem, lætitiam, mœrorem, odium, amorem, bonos malos, iustos iniustos, Dominos seruos, regnum subiectionem, famem, societatem, mortem, vitam, quorum omnium vna pars imaginem habet regni Dei, pars altera inferni. Commixtio bonorum & malorum in hoc mundo est, in regno autem Dei nulli mali sunt, sed omnes boni, in inferno nulli boni sed omnes mali. Habes ex Augustino mundum cœlestem locum Sanctorum, Infernalem locum improborum, mundanum locum vtrorumq;.

Petrus

Petrus Apostolus epistola 2. cap. 3. vers. 5. 6. 7. triplicem statuit mundum: sic etenim ait: Illud sponte ipsos latet, quod cœli iam olim extiterint per Dei sermonem, & terra ex aqua & in aqua consistens, quamobrem is, qui tunc erat mundus aqua inundatus perijt. Qui verò nunc sunt cœli & terra eodem sermone repositi seruantur igni, & ad diem damnationis & exitus impiorum hominum. Audis hoc loco trium mundorum à Petro fieri mentionem. Primùm enim mundum cœli quidem mentione tantùm notat, qua tamen omne id quod ambitu suo cœlum complectitur, hoc est, orbes cœlestes & cæterorum sub his mixtorum corporum seriem & ordinem intelligit. Hunc mundum Petrus ait, aqua perijsse, non quod cœli aut terræ substantia perierit, sed quod pristinam faciem & bonitatem terra cum incolis suis (octo tantùm hominibus exceptis) amiserit. Secundus mundus est Petro Modernus, qui per Dei sermonem ab aquis liberatus, vel, vt ipse loquitur, repositus est. Huius durationem extendi ait ad diem iudicij, in quo totus mundus igne conflagrabit: ait enim vers. 10. & 12. Cum stridore præteribit, & elementa æstuantia soluentur, terraq; & quæ in ea sunt opera exurentur. Quare hic mundus corruptibilis meritò vocari potest. Tertius mundus est Petro nouus, qui post exustionem reparabitur & ceu Phœnix suo restituetur nitori. Huius habi-

habitatores erunt iusti: Ait enim vers. 10. Sed cœlos nouos & terram nouam secundum promissionem eius (Dei) expectamus, in quibus Iusticia inhabitet.

Hæc promissio Dei extat Esaiæ 65. vers. 17. vbi mundum hunc nouum his verbis promittit: Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non memorabuntur priores. Sed gaudete & exultate in seculum seculi in his quæ ego creo, quæ verba repetit cap. 66. vers. 22.

Hunc nouum mundum iam olim testatur Iohannes in Spiritu se vidisse, vt nulla sit causa quamobrem hac de re dubitemus: Ait enim Apocal. 21. vers. 1. Vidi cœlum nouum & terram nouam, primum enim cœlum & prima terra abierat & mare non amplius extabat. In sequentibus posteà eius mundi magnitudinem, situm, mensuram, portas duodecim, murum sublimem, fundamenta lapidibus preciosis ornata describit: adijciens insuper, eum mundum non lunam, non solem sed gloriam Dei illustrare.

Verùm hanc mundi diuisionem quam ex Petro nunc attulimus, alij aliter accipiunt, vt nimirum duos saltem inde mundos colligi posse statuant: Veterem & Nouum, Veteris nomine eam rerum vniuersitatem accipiunt, quæ in prima creatione à Deo constructa fuit. Huius

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
Biblioteka Uniwersytecka Starodruki Toruniu

bipartitam aiunt esse rationem, alteram integri, alteram viciati. Integer siue incorruptus mundus is esse putatur, qui fuit ante lapsum primorum hominum, cum in eo opera Dei, à quibus sept. no die, vt Moses commemorat, cessauit, integra omni labe carentia extiterint. Ad corruptum verò mundum morbos & tot quæ secuta sunt peccatum mala referunt. Noui autem appellatione futurum intelligunt mundum, de quo Esaias & Petrus cum Iohanne loquuntur. Huius similiter ratio duplex statuitur. Vna, ad inchoationem; altera, ad consummationem spectat. Ad inchoationem spectat conuersio, regeneratio, & totius Ecclesiæ per Christum restauratio. Ad consummationem spectat totus ille mundus, quem post iudicij diem habituri sumus, vbi videbimus Deum facie ad faciem.

Nicolaus Cusanus tom. 1. libro 1. de coniecturis cap. 14, tres mundos non inconuenienter numerat; Supremum, medium & infimum. Supremi centrum dicit Deum esse: Medij siue secundi intelligentiam: vltimi rationem. Ex quo intelligimus, tres illum mundos statuere, Intelligibilem quem supremum vocat: Sensibilem, quem medium appellat: μικρόκοσμον, paruum mundum hominem, cuius centrum dicit esse rationem seu mentem. Hanc distinctionem mundi mutatis

verbis

verbis repetit, tomo 1. de ludo globi, libro primo, vbi ait: Triplex est mundus: Paruus qui homo: maior qui vniuersum dicitur: maximus qui Deus vocatur: Paruus est similitudo magni: Magnus similitudo maximi: Maximus nullam præter seipsum in alio habet similitudinem.

Cæterum cum triplex hæc mundi distinctio reliquis plausibilior esse, & ad institutum nostrum accommodatior videatur, eius considerationem in progressu nostræ tractationis, alijs neglectis persequemur.

CAPVT II.

EX MVNDI TRIPLICIS ADMIRATIONE atq; contemplatione omnem sapientiam & cognitionem præsertim naturalem natam esse.

CVm totus mundus hoc se pacto habeat, non immeritò Philosophorũ princeps Aristoteles, sapientiam totam ex admiratione triplicis mundi natam esse arbitratus est. Nisi n. mens humana passiones atq; ornamenta triplicis mundi ad se sensuum ope delata admiratus ab initio fuisset,

nullo modo causas earum inquirere instituisset. Quoniam verò ita affecta sunt omnia entia in triplici hoc mundo, vt plurima in se diuinitatis mysteria continere, manifestè deprehendantur, non immeritò animum hominis ad sui contemplationem inuitarunt, tumq; permouerunt, vt omnes ingenij vires inuestigandis earum causis intenderet. Incipiens igitur intellectus hominis versari circa μικρόκοσμον siue paruum mundum id est hominem, non aliunde tot huius μικροκόσμου operationes, ad amussim inquirere aggressus est, quàm ex admiratione earum. Inde ascendens ad mundum sensibilem, qui omnia corpora physica complectitur, perinde sese in hisce rebus examinandis exercuit, eo vsque demum sese attollens, donec mundum intelligibilem atq; intelligentias apprehenderet. Iure igitur ab Epicureis dictum olim fuit, OMNIA DIIS PLENA ESSE, nimirum omnia ita sunt affecta in triplici hoc mundo, vt diuinitatis quibusdam vestigijs referta esse videantur. Quis enim abundè satis exprimere posset, quomodo motor primus, intelligibilis mundi Archetypus, seu, vt Cusanus loquitur centrum, rebus illis quæ non erant, dederit esse, existentes verò ita gubernet, alat, propaget, vt genitor appellari mereatur? Atque ille ipse vtriusq; mundi inferioris machinam vsquequaq; varijs variarum

Metaphysica.

variarum rerum speciebus referſit, vt quo capillũ abijcias, non habeas. Proximus intelligibili mundo eſt ſenſibilis, in quo ſimilis priori oritur admiratio. Quis enim principia atq; elementa corporum naturalium & communes paſsiones, quis communiſsimas eorundem ſpecies, cœlum, ſidera, Planetas, eorum curſus & motus, diuerſiſsimos quidem, attamen ordinatiſsimos, quis quatuor elementorum inter ſe actionem & paſsionem mutuam, imò generationem, deinde verò æternitatem abunde non explicare modò, ſed pro dignitate admirari poteſt? Quæ elementa, licet perpetuò propter inſitas qualitates inter ſe dimicent: omnibus tamen corporibus ſublunaribus, ortus & generationis, interitusq; ac corruptionis originem & cauſam præbent. Poſtquam enim luctata aliquandiu inter ſe fuerint, fractis tandem conflictuum mutuò viribus, iunguntur, atq; in vnum coëunt, ex quorum vnione, hæc, quam cernimus, corporalium rerum admiranda varietas emergit atq; oritur. In aere quidem & ſuperficie terræ producuntur animantia omnis generis, vtpote volatilia, alis duabus, vt aues; alis quatuor, vt animal Ephemerum, ſine pennis, vt veſpertilio, muſcæ, veſpæ, papiliones, locuſtæ; volatilia item pedes habentia vt aues pleræq;; vel pedibus carentia vt aues quas Plinius vocat Apodes, ad quarum genus & κύψελον refertur à nonnullis, vt

Libri Phyſicorum.

Libri de cœlo.

Libri de generar. & corrupt.

Libri de hiſtoria Animal. Ariſt. lib. 1. de hiſtoria anim. cap. 1. Galenus lib. 17. de vſu part. cap. 2. Plinius libro 8. 9. & 10. Aelianus lib. 17. de animal.

aues Paradysi, & teste Cardano libro decimo de subtilitatibus. Manu codiata; item angues circa AEthiopiam, teste Aristotele libro primo de historia animal. cap. 5. & Plinio libro 10. cap. 19. Præter hæc reperiuntur & animalia gradientia, quorum quædam sursum erecta sunt, vt homo, quædã depressa et prona vt bruta, ex quib. alia sunt quadrupeda alia multipeda: Quorum quædam reptilia sunt, quæ pedibus repunt; quædam serpentia, quæ absq; pedibus cutis corrugatione promouentur. Natatilia item vt pisces, itemq; plantæ, frutices, arbores & alia infinita. Sed neq; minus miranda in ipsis terræ visceribus corpora producuntur, vt sunt lapides, omnia metalla siue mineralia, aurum, argentum, aurichalcum, vel vt alijs placet ὀρείχαλκον, æs vulgatum, æs Cyprium, plumbum album, quod & stannum dicitur, item plumbum nigrum siue vulgare, bisemurum inter vtrumq; medium, Antimonium ex stibio factum, Cerussa, Sandaracha, ferrum, chalybs, argentum viuum siue ὑδράργυρος, & alia, quæ naturam lapidum & metallorum participant, vt sunt alumen, idq; aliud scissile, aliud rotundum aliud liquidum, vt Galenus libro 9. Simplicium medicamentorum, itemq; Plinius libro 36. cap. 19. recenset; His adde sulphur viuum quod ἄπυρον Græci dicunt, glebam fullonum, Egulam, Ellychniam, sal marinum, fossile, Ammoniacum vel Armenia-

De doctrina Mineralium & metallorum.

Armeniacum, sal gemmæ, sal Alcali, Sed nitrum, atramenta item alba, rubea, citrina, viridia & fusca, vitriolum, Arsenicum, Minium; Chrysocollam Auripigmentum, Ochram, Chalchidem, Armenium lapidem & alia infinita, quæ nedum admirari abundè, sed saltem recensere non parui est laboris. Et huiusmodi sunt, quæ intra terram proueniunt. Supra terram deniq; in regionibus aëris impressiones omnes meteorologicas quis ad stuporem vsq; non admiretur? Vt in summa aëris regione, ex exhalatione secundum omnes partes æqualiter accensa ardentem stuppam, in longum accensa sidus currens, stellam cadentem ab vna duntaxat parte accensa, trabem ardentem ex condensata exhalatione, Cometam. In media autem aeris regione, ex exhalatione inflammata sine nube stellam cadentem, cum nube tonitrua, coruscationes fulgura, fulmina. Item ex non inflammata exhalatione ventos: deniq; ex exhalatione in infima aeris regione stellas Castoris & Helenæ, flammas verticales, ignes fatuos. Ex vapore autem in infima aeris regione grandinem, granedulam. In media aeris regione frigidissima niuem, ruinus frigida, voraginem, chasma, parelias siue tres soles, tres lunas et Halones: temperata pluuiam imbresc. In infima aeris regione rores, pruinam, mel, mannam: deniq; in ipsis terræ viscerib. flumina et fontes perennes.

Libri Meteorologicorum.

Meteora ex exhalatione in summa aeris reg.

In media.

In infima.

Ex vapore orta meteora.

Accedunt his omnibus admirabiles μικρὸς κόσμος, id est, parui mundi operationes & passiones. Quis enim ortum atq; conceptionem hominis adstuporem non miretur ? Explicet physicus omnium peritissimus, quomodo in similari & molli semine, tot & tantæ vires sint repositæ, vt isthinc surgere, tanta molium & magnitudinum diuersitas possit. Quomodo autem aliquis sibi persuadere posset, nisi rerum experientia edoctus credere cogatur, in molli & fluuido semine, tam diuersissimarum rerum primordia latere ? Ossium inquam, neruorum, cartilaginum, carnium viscerum, reliquarumq; corporis partium. Nec enim in liquidis adhuc seminibus quidquam tale videre licet, nec in infantibus apparent, quæ adolescentibus accrescunt, aut in adolescentia ea, quæ virilis ætas possidet, eminent, nec rursus in virili ætate quæ senectus habet, adeo vt quemadmodum in vltima corporum resurrectione nihil videbimus, vnde tot millia hominum renascentur, præter siccum, exiguumq; puluerem : ita in conceptione corporum omnia nò nihil animaduertimus eorum, quæ enata habitura sunt corpora, præter semen exiguum & liquidum. Quis itaque hic non stupeat ? Sed admiratio omnium maxima est, quæ ex opificio animæ oritur, cuius ortus atque origo, essentia, facultatum γνωστικῶς, ὀρεκτικῶς

κῆς καὶ θυμικῆς excellentia, earundem variæ operationes, omnem profectò superant admirationem. Sed quid de anima loquor? Nonne sensuum quinq; exteriorum famulitium res admirationis plena est? qui posteaquam circa omnia sensibilia vagati sunt, deferunt ea, quæ exceperunt ad sensus interiores, qui propagant vsque ad intellectum.

Verè igitur omnis cognitio ex admiratione triplicis mundi profecta est, adeò vt non sine ratione, Oracula diuina, naturalem Dei Opt. Max. cognitionem, contemplationi triplicis huius mundi adscribant. Cum enim duo nobis Scriptura de Deo considerandà proponat, vnum ἄγνωστον, quod nobis inuestigandum non est, alterum γνωστὸν: hocq; rursus dupliciter post lapsum consideretur: primò quatenus in verbo Dei nobis patefactum est, quod neq; sanguis neq; caro nobis, nulla deniq; creatura reuelare potuit, deinde quatenus cognoscere ex relicta naturali intelligentia possumus, esse scilicet aliquod summum bonum per se existens, infinitum, postrema hæc cognitio, rerum creaturarum, hoc est, mundi visibilis contemplatione nimiopere alitur, licet non eodem in omnibus modo: duplici siquidem conceptione hæc constat cognitio, vna ita communis animis est, vt simul omnium sit, hoc est, omnes homines hanc

naturaliter nouerint: alia verò ita est communis animis, vt non omnium hominum, sed doctorum tantummodo sit, quæ tamen non aliunde, quam ex contemplatione venit naturali. Hoc scilicet illud est, quod canit Dauid Psalmo 19. vers. 2. 3. Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eloquitur sermonem, & nox nocti indicat scientiam. Sed & Paulus Apostolus, quæ sunt inuisibilia Dei, inquit, ex creatione mundi perspici, & id quod de Deo cognosci potest, ex rebus conditis intelligi. En æterna Dei potentia & diuinitas, res per se inuisibiles, in tabella mundi visibilis, velut in mappa, magnam hanc vrbem exhibente, nobis aspicienda proponitur, vt non sine ratione Sanctus Patriarcha Iobus ad iumenta & res conditas ableget homines, vt illinc Dei creatoris cognitionem repetant: Ait enim cap. 12. vers. 7. Interroga nunc iumenta & docebunt te, & volatile cœli & indicabit tibi, aut alloquere terram & docebit te, & narrabunt tibi pisces maris. Quæ, si ita se habent, operam sedulò demus, ne cum illo profano Anaxagora, natos nos ad inspectionem solummodo & contemplationem mundi huius profiteamur, sed quod præcipuum est, ex sensibilibus istis ipsum intelligibilem mundum, hoc est, Deum ipsum agnoscere, eiusq; sapientiam & bonitatem prædicare discamus.

Rom. 1. v. 18. 19.

CAPVT

CAPVT III.

IN HAC TRIPLICIS MVNDI CONSIderatione post intelligibilem maximè admirabilem μικρόκοσμον siue paruum mundum occurrere.

TAmetsi verò omnes mundi suo digni sunt titulo: nullus tamen dignior vnquam est post mundum intelligibilem, neq; intellectum magis permouet, admirationisq; maioris author est, aut ad cognitionem Opificis, eiusq; imaginem propius accedit, quàm μικρόκοσμος, vt enim rectè ait Cusanus tomo 1. lib. 3. de docta ignorantia: Humana natura est illa, quæ est supra omnia Dei opera eleuata & paulò minus, vt Dauid canit, Angelis minorata. Imò vt alibi August. docet, tantæ dignitatis est humana conditio, vt nullum bonũ præter summum bonum ei sufficere possit. Plenum fuit miraculo, quod tàm diuersa & tam diuisa ab inuicem potuerunt in homine coniungi, spiritus nimirum vitæ & limus terræ. Nec minus mirabile fuit, quòd limo exiguo Deus ipse, qui est maiestas infinita, seipsum coniunxit, vt sibi inuicem vnirentur, manus Dei & limus terræ. Quis verò ô Deus Opt. Max. tertiam illã hominis & Dei

coniunctionem adstuporem non admirabitur, quæ DEVS, spiritus vitæ, & caro in vnitatem personæ vnita sunt?

Quis ad tantum miraculum non consistat, obstupescatue, secumq; reputet, quanta parui huius mundi sit dignitas & excellentia? Deum certè cœli cœlorum capere, & vniuersus hic materialis, magnusq; mundus comprehendere, iuxta verba Prophetæ, non potest. Homo verò exiguus hic mundus, Deum in vnitatem personæ secum attraxit. Mirabilis certè coniunctio. Sed quid tandem dicemus de vltima illa & ineffabili coniunctione, qua homo, omnes angeli & Deus vnus erit spiritus? Habetisne vos cœli, qui lucidissimum estis, expansumq; Dei opus, quo gloriari iam positis, hominumq; mentes trahere in admirationem? Habetisne vos ô splendidissima luminaria, sidera & Planetæ? Scilicet: Si omnes creaturæ Dei in vnum confluatis, vnicam hominis animam prævalere non potestis. Quid? Dotibus illis eximijs, quibus ornati estis gloriamini? Nempe: Nullæ dotes in cœlo & in terra, in rebus visibilibus & inuisibilibus reperiuntur, quæ in paruo hoc mundo, homine, secundum sui mensuram, non expresè & distinctè appareant, Nam cum ijs, quæ ex terra nascuntur, vitæ, cum animantibus sensus, cum supernis mentibus intelligentiæ, cum Deo patre, filio & spiritu Sancto (qui summus &

2. Paral. 2. vers. 6.

mus et vltimus admirationis in homine gradus est) diuinæ imaginis particeps est. Vnde non frustra veteres etiam Philosophi, tàm præclaro opere obstupefacti, hominem pro magno miraculo habuerunt, & eum minorem mundum scitè appellarunt. Apud Mercurium enim illum Termaximum nihil in Pimandro occurrit frequentius, quàm magnum miraculum hominem esse. Et Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 12. scitè dixit, omni miraculo, quod fit per hominem, hominem ipsum maius esse miraculum, licet hoc miraculum visibilis hominis, videndi assiduitate viluerit. Hæc est causa, quòd homo à veteribus Græcis μικρόκοσμος, ab Hebræis עולם הקטון minor seu rectius paruus mundus, à Domino nostro Iesu Christo בלבריאה id est vniuersa creatura apud Marcum dicatur. Nam qua præstantia Deus rerum opifex, magnum mundum vniuersaliter donauit, eandem vniuersam homini etiam particulariter tribuit, velutiq; in parua tabella conspiciendam præbuit. Vt inde quoq; mirum non sit, vnigenitum Dei filium non angeli aut animantis cuiusdam alterius, sed hominis ipsius naturam assumere voluisse, vt hac ratione rerum omnium perfectiones, ab eodem verbo, per quod condita fuerant omnia, in homine restaurarentur.

CAPVT

CAPVT IIII.

CVR HOMO A VETERIBVS GRAECIS μικρόκοσμος, ab Hebræis עולם הקטון, hoc est, paruus mundus, à Domino nostro IESV CHRISTO כלבריאה, id est, vniuersa creatura, á veteribus Philosophis magnum in hac rerum natura miraculum dicatur.

FErt animus DEO duce in hoc capite rationes, ex varijs variorum authorum lectionibus depromere, cur totius mundi epitome homo à Basilio magno sit vocatus, à Græcorum sapientibus & Physicis μικρόκοσμος, ab Hebræis עולם הקטון, hoc est paruus mundus à Domino nostro Iesu Christo כלבריאה, id est, vniuersa creatura, á veteribus verò Philosophis magnum in hac rerum natura miraculum habitus sit. Ita enim fusius confirmaturum me spero id, quod præcedenti capite fundamenti loco iactum est, nullum scilicet esse inter mundos visibiles, qui maioris autor sit admirationis, quàm μικρόκοσμος. Ac vt initium dicendi hinc aperiatur, tradit Boetius in libro de definitione, vbi species definitionum varias enumerat, tertiam decimam definitionis speciem esse κατ' ἀναλογίαν, hoc est, iuxta rationem seu proportionem, cum aliquid quod disputari licet cum altero id esse dicitur, quod illud est alterum

Basil. lib. Exam. Hom. 11. Macrob. lib. 2. in Som. Scip. cap. 12.

propter

propter rationem similitudinis: quod tamen tùm contingit, cum maioris nomine definitur res inferior, & quòd hoc additur quid sit inferior. Talem esse definitionem Græcorum ait, qui hominem hoc pacto definiunt: Ἄνθρωπος ἐστὶ μικρόκοσμος, h.e. Homo est paruus mundus: cui definitionis adstipulatur Aristot. lib. 1. de hist. animal. cap. 17. qui hominem ad vniuersi habitum et analogiã institutũ esse docet. Cum itaq; homo propter ἀναλογίαν siue proportionem ac similitudinem quandã, quam cum maiore mundo habet, ita à Græcis definiatur nunc in quibus illa consistat analogia et proportio considerandum venit.

Prima ἀναλογία μεγάκοσμου & μικροκόσμου.

Ac principio quidem tradunt sapientes viri, in humano corpore totius orbis figuram conspici. Nam si quis ab vmbilico, centro nimirum parui mundi, circulum ducat, per extremos extentorum brachiorum & pedum decursus, periferiam integram (cuius figuræ maior esse mundus à Mathematicis & ipso Aristotele comprobatur) delineabit, corpus exactè ambientem, vnde colligitur humanum corpus rotunditate, cœli & mundi huius rotundam figuram præ se ferre. Atq; vt pro ratione huius rei, demonstrationis aliqua tibi initia præbeam, totius huiusce rei ratio hinc pendet, quod corpus hominis tàm in longitudinem quam in latitudinem (quæ ad circulum integrum describendum imprimis requiruntur) æqualia possideat spacia. Nam vt rectè animaduertit

Solinus

Solinus cap. 5. de rerum mirabilib. tanta est inter extremitates extentorum brachiorum latitudo, quanta est à planta pedis ad vsq; verticem capitis longitudo: vnde non mirum est, si homo brachijs atq; pedibus extentus, ad mundi maioris similitudinem, æqualiter comperiatur esse mensuratus. Hæc prima est μικροκόσμυ καὶ μεγακόσμυ ἀναλογία & proportio.

Altera hæc est, quòd quemadmodum in reliquis quos supra recensuimus mundis, vnus est mouens, vnus rector, vna mens, vnum centrum: ita in paruo hoc mundo, siue totum simul, siue partes spectes, vnus est mouens, vnus rector, vnum centrum. Ac quod ad reliquos attinet mundos, ineffabilis siue diuinus ille & ὑπερτάτ⊙ mundus vnum habet centrum, Cusano teste Deum, vnam animam testibus Hebræis quam illi Adonai vocant. Alter quoq; mundus formalis, siue inuisibilis & Angelicus animatus esse censetur, cuius animam & centrum Cabalistæ animam Messiæ esse dicunt, quæ Angelico illi mundo vitam & motum impertit. Huius centrum vocat Cusanus intelligentiam. Tertius mundus materialis & visibilis etiam ab ipsis Philosophis animatus esse dicitur, ob eam quoq; causam hoc vniuersum animal magnum esse dixerunt, eiusq; animam esse Iouem vel Hocaten, hoc est, numen quoddam vniuersa-

uersalem mundum regens & gubernans, vt Augustinus, Philo & Cicero authores sunt.

Ac ipse inprimis Plato in Timæo, itemq; Alcinous de doctrina Platonis cap. 10. Mercurius Trismegistus in Pimandro, Stoici apud Ciceronem lib. 1. de natura Deorum hanc sententiam sedulo tuentur, de que & ipse Augustinus libro de immortalitate itemq; libro sexto de Musica cap. 14. pluribus disputat. Virgilius autem Aeneid. 6. his hexametris expressit:

Principio cœlum, & terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra,
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.
Inde hominũ pecudumq; genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore tellus,
Igneus est ollis vigor & cœlestis origo.

Et Marcus Manilius in Astronomicis ad Augustum similiter canit:

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraq; naturæ diuersa condita forma,
Aeris atq; ignis, terræ, pelagiq; iacentis,
Vis animæ diuina regit, sacroq; meatu
Conspirat Deus, & tacita ratione gubernat
Et multa in cunctas dispensat fœdera partes.

Hanc mundi materialis animam Cabalistæ Metratton vocant, illustrantem, regentem & vinificantem. Ad similitudinem horum mundorum,

August. lib. 10 Retractat. Aug. de tempore Serm. 141. Philo lib. 1. legis Allego. Cicero lib. 1. & 2. de nat. Deor.

cum in μικροκόσμῳ quoq; vnus sit mouens, merito paruus mundus appellatus fuit. At cum homo dupliciter consideretur, totus & respectu partium, totius hominis motor, mens & centrum animæ est, quæ ceu auriga & eques totum corpus iustis moderatur habenis. Corporis verò motor cor est, quòd à Physicis vocari solet primum viuens pariter atq; mouens & vltimum moriens. Et hoc illud est quod ait Cæsanus Tom. 1. lib. 1. de ludo globi: Non, inquit, possumus negare homine dici μικρόκοσμον, qui habet animam. Sic enim et magnum mundum animam habere dicunt, quam naturam quidam dicunt alij spiritum vniuersorum, qui omnia intus alit, vnit, connectit, souet, & mouet, ad quem se habet totus corporalis mundus, sicut hominis corpus se habet ad animam. Ex quibus liquet, quàm illud sit plausibile, quòd à nonnullis solet vsurpari: Deum solum mouere vniuersum mundum, & eum totum in toto mundo vbique esse, quemadmodum & anima mouet paruum mundum, & tota in toto corpore reperitur.

Tertia ἀναλογία μεγακόσμου καὶ μικροκόσμου.

Hæc secunda est proportionis ratio. Tertia hæc est. Diximus ex Philone tres esse mundos, Inuisibilem, quem Angeli, Deus & Messias constituunt: cœlestem, quem cœli, cœlorum sidera & Planetæ efficiunt: inferiorem siue elementarem, qui ex elementis atq; elementatis conflatus est. Iam verò homines eruditi in homine minore mundo, tres partes inueniri tradunt, quæ tribus hisce mundis aptè respondeant.

ſpondeant. Eſt .n. in capite ſumma hominis parte cerebrum, ſenſuum et intelligentiæ ſedes, quæ pars hominis mundo ſupremo, in quo mentes ab omni materia ſeparatæ degunt, perenniq; ſplendore & et luce illuſtres vigent, reſpõdet. Eſt in pectore fons caloris vitæ et motus, cor nimirũ, quæ pars mundo medio, cœlo in hæc inferiora, lumen, calorem, vitã & motum fundenti congruit. In infima hominis parte generandi vis cernitur, quæ cum inferiore mundo, in quo infra lunam generationum & interituum perpetuæ viciſſitudines conſpiciuntur, conuenit. Hæc eſto tertia ἀναλογίας ratio.

Quarta ἀναλογία μεγακόσμυ & μικρόκόσμυ.

Quarta in admirando hominis opificio cernitur. Cum enim homo triplici animæ facultate ſit præditus, vegetatiua, ſenſitiua & rationali, ab anima alente planta eſt, à ſenſitiua brutum, à mente Angelus, à ſpiritu diuino, diuinæ particeps naturæ. Vnde corpore ſuo corpora mũdi repreſentat ea parte animæ, quæ alendi vim obtinet, vitam ſtirpium exhibet ſenſum animantiũ in anima ſenſitiua refert, deniq; intelligentes Angelorum naturas mente ſeu intellectu æmulatur. Quare non ab re Heſiodus in libro ἔργων & ἡμερῶν ſub nomine Pandoræ, domum omniũ ſuperiorum & imaginem hominem vocat, cui ineſt à Deo inſufflata anima immortalis, quã cum angelis participat, vt intelligit, vt ſentit cũ reliquis animantibus, vt vegetatur & creſcit cum plantis. Et hæc cauſa eſt, quamobrem ab Ariſtotele lib. 1. de moribus ad Nicomachum

cap. 7. dictum est, hominem cum omnibus animantibus commune habere viuere, cum cœlestibus ESSE, vt interea illud taceam, quod Macrobius lib. 1. in Somnio Scipionis cap. 14. ait, mentem homini etiam cum sideribus esse communem, vt nihil mirer, Protagoram apud Platonem in Cratylo & Teæteto dicentem, hominem rerum omnium esse mensuram. Huc pertinet illud Nicolai Cusani tomo 1. de venat. sapient. cap. 32. Quam pulchrè inquit copulam vniuersi & Microcosmum hominem in supremo sensibilis naturæ, & in infimo intelligibilis locauit, connectens in ipso, vt in medio, inferiora temporalia, & superiora perpetua. Ipsum in horizonte temporis & perpetui collocauit, vt ordo perfectionis deposcebat. Experimur enim in nobis, qui cum cæteris animalibus conuenimus in sensibus, vltra illa habere mentem. Sicut in parte sensuali iungimur animalibus, eorumq; naturam sortimur: ita in parte illa qua intelligibili naturæ iungimur, intellectualem participamus naturam. Idem tomo 1. lib. 3. de docta ignorantia: Humana, inquit, natura est, quæ est supra omnia Dei opera eleuata, & paulo minus angelis minorata, intellectualem & sensibilem naturam complicans, ac vniuersa intra se constringens, vt μικρόκοσμος aut paruus mundus, à veteribus rationabiliter vocitetur. Hoc planè est, quod ait August. in lib. octuaginta quæst. Quoniam

niam summi Angeli spiritualiter viuunt, infimi verò animaliter, bestiæ autem & omnia corpora carnaliter, corpus aũt non viuit sed viuificatur, omnis creatura in homine est, quia & intelligit spiritu, et sentit anima, et localiter corpore mouetur.

Ex his rursus noua huius appellationis suboritur causa. Dicitur enim homo μικρόκοσμος et à Christo vniuersa creatura, quòd vniuersus mundus, ac proinde vniuersa creatura, cuius homo epitome est, ab interitu vindicetur. Nam cum Paulus Rom. 8. vers. 20. doceat, omnes res creatas exerto capite expectare reuelationem filiorum Dei, vt à vanitate liberentur, expressè docet, totum mundum ab interitu in homine vniuersi capite vindicari. Quare Apostolus Coloss. 1. ait, homine pacificato per sanguinem Messiæ, etiam cœlestia & terrestria omnia pacificari, & in hominis vltima perfectione omnia perfici. Propter hanc itaq; vniuersi perfectionem in homine consummandã, ipse homo, paruus mundus & vniuersa creatura dici meruit, cum vnumquodq; ab eo quod in suo genere præstantius & perfectius est, cũ peruenitur ad summum perfici consueuerit. Sic plantarum perfectio in animalibus, animantium in homine, hominis non in mundo visibili, sed in solo Deo cernitur, quem homo ita prope attingit, vt nullum excellentius in hoc mundo interiectum sit opus. Atq; hoc est quod Reuchlinus lib. 2. Cabalæ docet, qui poste-

Quinta ἀναλογία, μικροκόσμου καὶ μεγακόσμου.

Col. 1. v. 20.

Reuchlinus lib. 2. Cabal.

aquam mundos ordine recensuit, in seculo inquit elementorum est homo, qui nominatur seculū paruum, quod Græci dicunt μικρόκοσμον, hoc est minorem mundum, nam in homine ipso relucent omnium creaturarum proprietates, summarum & infimarum. Et paulo post, cum rebus creatis ceu symbola Hebræum Alphabetum applicasset, subijcit: ת Tau inquit est symbolum hominis & naturæ humanæ, qui est perfectio & finis omnium creaturarum. Sicut enim Messias est finis & consummatio in mundo Angelorum: ita homo est finis & perfectio creaturarum in mundo elementorum, quin potius & in mundo vniuersorū. Compositus est .n. ex duobus mundis spirituali et corporali. Nunc accedamus ad sextam huius appellationis rationem, quæ peti potest ex diuisione materialis siue maioris mundi.

Sexta ἀναλογία μικροκόσμου & μεγακόσμου.

Quatuor aūt apud Hiobum ca. 23. v. 8. 9. Matthæum cap. 8. v. 11. mundi partes siue cardines numerantur. Oriens quem Hebræi קדם hoc est anteriorem mundi partem, Græci ἀνατολὴν vocāt: Occidens quem Hebræi אחור, h. e. posteriorem partem, Græci δύσιν vocant: Tertius mundi cardo Aquilo sinistra mundi pars appellatur, à Græcis ἄρκτος: deniq; Meridies dextera appellatur, à Græcis μεσημβρία, quod in ea calor et lux clara appareat, quemadmodū Septētrio frigori & tenebris obnoxius est, quare sinistra vocatur, qua dextera pars præstantior indicatur. Iam

Iam verò Oriens apud Iobum & alibi sæpè, in quo illustre Solis & cæterorum siderum errantium & cœlo inhærentium lumen

Emicat, & subito vibratus lumine Phœbus
Mirantes oculos radijs ferit &c.

Boet. de Consol. Philos. lib. 1. met. 6.

anteriori hominis parti, in qua vultus luminibus oculorum fulget, comparatur, vt contra occasus in quo sidera cũ luce sua occidunt: posteriori ac tergo, in quo lux, quæ in vultu apparet, se occultat, confertur. Meridiei autem, in quo lux & calor intensior est, dextra hominis pars, quam Medici & Physici calidiorem censent, in collatione respondere putatur. Septentrio sinistram magis, quæ frigidior esse perhibetur, referre creditur.

Vicina huic, illa est Cabalistarum ἀναλογία, qua censent ob id hominem μικρόκοσμον vocari, quòd partiũ numero respondeat mundo cœlesti & materiali, in quibus mundis septena aiunt esse habitacula. Ac in cœlesti primum habitaculum vocant שמים *Samaim, Secundum* רקיא *Rakia, tertium* שחקים *Sechakim, quartum* זכול *Zavul, Quintum* מעין *Main, sextum* מכון *Makon, septimum* ערבות *Arbot. Simili ratione in materiali mundo septem recensent habitacula, Primum vocat* ארץ *Erecz, Secundum* ארקא *Arka, Tertium* גיא *Ge, Quartum* יבשה *Iabasa, Quintum* חרבה *Karba, Sextum* תבל *Teuel, vltimum* חלר *Geled. His mundorum receptaculis aiunt respondere*

Refert Reuch. lib. 1. Cabal. fol. 461.

septem μικροκόσμῳ partes, nempe corpus, animam & ex his compositum quod נפש *Nefes Hebræi appellant, id est, hominem ex quatuor animæ potentijs, & quatuor mundi maioris qualitatibus, calido, frigido, humido, sicco, formatum. His ego addere possem, septem quoq; à Medicis numerari, quibus homo sustentetur, Cibum, potum, aërem exercitationem, quietem, vigiliam & somnum; vel vt alijs placet, elementa, temperamenta, partes corporis, humores, spiritus, facultates, actiones. Quin etiam fœtus humanus in vtero materno septem mensibus formatur naturaliter, & septimestres partus vitales sunt, cum octimestres omninò impossibile sit viuere.*

Septem sunt a quibus hominis vita conseruatur.

Aetatum hominis distinctio.

Septem quoq; iuxta doctiores vitæ humanæ ætates recensentur, quarum prima est infantia, durans vsq; ad septimum ætatis annum, ab in & fari, quod tunc homo facultatem loquendi nondum habeat: secunda est pueritia, extendens se ad secundum septenarium, id est, annos quatuordecim, dicta à pubertate iuxta Isidorū, eò quod tunc homo efficitur pubes. Tertia est adolescentia, quæ producitur vsq; ad quartum septenarium, hoc est 28. annum, dicta secundum Isidorum ab adolescendo seu crescendo, vsq; enim ad illud tempus adolescit et crescit homo. Quarta est iuuentus à iuuando, eò quòd tunc fortior sit homo & aptus ad iuuandum. Quinta est virilis ætas, quæ ab Isidoro dicitur

dicitur senecta seu grauitas, quæ est media inter iuuentutem et senectutem. Sexta ab Isidoro vocatur senecta. Vltima est decrepita, in qua & sensus diminuitur, sanguis friget, & ratio sensim deficit atq; torpet. Hanc ætatum distributionem approbat Hippocrates, cum ait, septem esse ætates, Infantis, pueri, adolescentis, iuuenis, viri, senioris, senis. Verba eius sunt: In hominis natura septem sunt tempora, quas ætates vocant: Infans est donec intra septennium dentes amittat; puer vsq; genituræ excretionem ad geminatum septenniū: adolescens vsq; barbæ hirsutiem ad annum ter septimum Iuuenis vsq; dum decreuit totum corpus ad quater septimum. Vir vnde quinquagesimum ad septies septimum. Quicquid verò deinceps sequitur ad senium pertinet. Descripsit Solon Athenienſium Legislator, has ætatum distinctiones huiusmodi versibus:

Impubes pueri septem voluentibus annis
Claudunt enatis dentibus eloquium.
Post alios totidem, diuorum numine dextro
Occultum pubis nascitur indicium.
Annis ter septem prima lanugine malas,
Vestiet, ætatis robore conspicuus.
Quartus id augebit iam septenarius, isq;
Coniugio monuit quærere progeniem.
Sexta ætas animo iustum decus addet, eaq;
Discet quid deceat, quid quoq; dedeceat.
At quæ succedunt &c.

Folio de mundi opificio fol. 19.

Aiunt insuper excrementa quoq; corporis subiici septenario numero : namq; ex oculis promanant lacrymæ, sicuti per ambas nares purgationes capitis, per os item saliuæ quas expuimus, Insunt etiam geminæ cloacæ, per quas deriuantur superfluitates corporum, altera antica, postica altera. Sextum est per totum corpus sudoris profluuium : ad hæc naturalissima feminis effusio, per membra genitalia. Hæc Philo.

Cum itaq; hæc hoc se pacto habeant, non immeritò homo tùm ad partes mundi maioris, tùm deniq; ad eius ætates conferri potest. Nota etenim est omnibus prophetia illa Eliæ cuiusdam : Sex millia annorum stabit mundus, duo millia inane, duo millia lex, duo millia Christus, quæ vtiq; distinctio ex mundi creatione enata est.

Quemadmodum enim narrat Moyses, sex diebus mundum conditum esse, & septimo requiei diem fuisse : ita visum est illi Eliæ plausibile vt totidem millenarijs tempus produceretur mundi, septimo deinde æterna subsequeretur requies, præsertim cum Petrus 2. Pet. 3. vers. 8. expresè dicat, mille annos coram Domino velut diem vnum esse. Sed hæc libenter suis authoribus relinquo : illud meminisse satis est, hominis ætates, huic maioris mundi ætatum distinctioni respondere, quemadmodum paulò antè ex Hippocrate docuimus.

Acceda-

Accedamus nunc ad alias huius appellationis rationes. Philosophus Phys. lib. primo testatur maximum mundum ex contrarijs determinatis enatum esse, Omnium verò contrariarum rerum documenta, non alibi quam in solo homine licet perspicere, probitatem, improbitatem, robur, infirmitatem, patientiam, impatientiam, cœlum, terram, tenebras, lucem, denique mortem & vitam, quorum respectu contrariorum, homo paruus mundus non ab re dici potest. Octaua ἀναλογία

Adde his & illud, quod in homine duos mundos superiorem siue sanctum & inferiorem pollutum contemplari licet. Si enim inferiorem, hoc est, Elementa, bestias, & homines cupiditatibus malis immersos complectentem spectes, hunc in homine exteriore per concupiscentiam corrupto cernere potes. Si denique superiorem & sanctum illum Dei & Angelorum locum consideres, hunc quoque in eodem homine per sacrum Dei spiritum regenerato facilè deprehendes. Nona ἀναλογία.

Sed vt tandem Coronidem huic capiti imponam, patietur fortasse lector, nouarum rerum cupidus, hoc loco ea quoque me adscribere, quæ hac de re apud Augustinum & Ambrosium reperiuntur. Existimo enim secundum eos eam quoque ob causam hominem μικρόκοσμον vocari, quòd æquali commensuratione respondeat arcæ Noe, in quo totus prior mundus conclusus esse, atque ab aquis Decima ἀναλογία μικροκόσμου καὶ μεγάλου κόσμου.

seruatus à Mose dicitur. Sed quæ isthæc ais commensuratio est? Narrat Moyses arcam Noë hac mensura fabricatam fuisse, vt trecentorum cubitorum longitudo eius esset, quinquaginta cubitorum latitudo, triginta cubitorum altitudo. Hanc arcæ mensuram in mensura humani corporis facilè deprehendes. Humani quippe corporis longitudo à vertice vsq; ad vestigia, sexies tantum habet, quantum latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantum, quantum altitudo, cuius altitudinis mensura est in latere scilicet à dorso ad ventrem, veluti si iacentem hominem metiaris supinum seu pronum, sexies tantum longus est à capite ad pedes, quàm latus à dextra ad sinistram, vel à sinistra in dextram, & decies quam altus à terra, vnde facta esse arca dicitur trecentorum in longitudine cubitorum & quinquaginta in latitudine & triginta in altitudine.

Vndecima ἀναλογία

His omnibus adiicere eam quoq; ἀναλογίας rationem non pigebit, quã Gregorius Magnus obseruauit: ait enim ideo hominem vniuersam creaturam & paruum mundum vocari, quod vix vllum rerum genus in maiori mundo dare liceat, in quo forma humana aliqua ex parte non repræsentetur. Quæ Gregorij verba, vt magis intelligi possint, adiiciam hoc loco aliquot rerum genera, in quibus Deus humanam formam repræsentare consuëuit, à cœlestibus initium capiendo. Nonne etenim

etenim constellatio, quæ Orionis nomine ab Astrologis vocatur, humanam formam expreßè ostendit? sicut & alia quædam fixa sidera, vt sunt Andromeda, Bootes, Hercules, Gemini, Perseus, Virgo, Cassiopea & similia expressam hominis effigiem habent. Plinius lib. 12. cap. 25. narrat, visum fuisse in cœlo Cometam candidum, crine argenteo ita refulgentem, vt humanam speciem apertè referret. Est etiam lapis dictus Camahex & alius Cheroboles vocatus, qui formam humanam distinctè exprimit. Sunt quoq; bestiæ, vt Satyri pilosi & simiæ figuram hominis referentes. Est etiam piscis vt Syrena vel Nereis, hominis figura plurimum conspicuus. Est deniq; herba siue planta, vt Mandragora, quæ formam hominis in radicibus à vulgo repræsentare creditur, licet Matthiolus parte 2. in lib. 4. Dioscor. cap. 71. vanum & fabulosum esse dicat, Mandragoras radices ferre, quæ humanam effigiem repræsentent. Homo autem alterius hominis formam rarò vel nunquam induit, quod Plinius lib. 7. natural. histor. cap. 1. mirabile circa humanam conditionem esse dicit. Ait enim, quod cum in facie humana decem sint membra, non inueniantur in tot hominum millibus duæ facies per omnia similes, sed semper necesse est aliquid interuenire dissimilitudinis. Quamobrem cũ Deus hominis figuram passim in rerum natura, vt in æthereis corporibus seu

stellis

stellis & elementaribus, vt superioribus, meteoris nimirum & inferioribus animantium terrestrium & aquatilium plantarum, piscium & gemmarum effingere voluerit, non ineptè inde colligimus, in homine eum vniuersam naturam repræsentasse: ac proinde rectè à Physicis Macrobio teste, vt mundum magnum hominem, ita hominem mundum breuem vocari. Quod ipsum homo animaduertere debet, ne suam conditionem & statum vili pendat, neue tam eximium Dei opificium, vicijs & Diabolo subijciat, illud imprimis secum reputans, vniuersum mundum in hac parua tabella naufragium pati.

Macrob. lib. 2. in Som. Scip. cap. 12.

CAPVT V.

DE PARTIBVS ESSENTIAM MIKPOκόσμου, siue parui mundi, hoc est Hominis constituentibus.

VNicus est apud Paulum Apostolum locus in epistola priore ad Thessal. cap. 5. ver. 23. vbi tres hominis partes enumerantur. Ait enim Apostolus: Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, vt integer vester spiritus & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini nostri IESV CHRI-

1. Thessal. 5. vers. 23.

CHRISTI seruentur. Hic locus occasionem præbuit Hæreticis, & præsertim Heracleonitis teste Hieronymo in cap. Ezech. vt triplicem hominis essentiam fabricarentur, corpus, animam & tertiam quandam ab anima & corpore differentem substantiam, Spiritum, vel (vt Hieronymus ait) spiritum, quo sentimus, animam qua viuimus, corpus quo incedimus. Ac spiritualem essentiam Hierosolimæ nomine appellabant: animalem Samariæ, corpoream siue terrenam Sodomæ, quæ opinio imposuit tandem etiam Alexandrino Episcopo Didymo, qui in Heracleonitarum sententiam hac quidem in parte defecit.

Hiero. in 20 cap. Ezech.

Hiero. in epl. ad Hedib.

Alij ex hoc loco colligunt, in vno eodemq; homine præter corpus & animam, tertium quendam inesse subtilissimum spiritum, quem modo in exteras terras, vt ibi tabellionis officio fungeretur, ablegare, modò reuocare hominem posse existimant, ac proprio nomine Genium inhabitantem vocant, nixi etiam testimonio Plinij lib. 7. cap. 52. qui de quodam Hermotino Clazomenio narrat, quod eius anima relicto corpore vagari fuerit solita, & quæ in longissimis regionibus viderat narrare. Et ipse Augustl. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 23. testis est, presbyterum quendam nomine Restitutum in parœcia Calamensis Ecclesiæ, ad imitatas quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita sese abstuliisse à sensib. vt similimus mortuo iaceret, qui non solũ vellicates

Hermotinii anima vagari extra corpus in exteris solita.

Presbyter Restitutus sese auocabat a corpore.

atq;

atq; pungentes minimè sentiebat, sed aliquando etiam cum igne vreretur admoto sine vllo doloris sensu perferebat. Non autem obtinendo sed non sentiendo eum corpus mouisse, ex eo probabatur, quod tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus: hominum tamen clarius loquentiũ se voces tanquam de longinquo audisse postea testabatur. Allegant praeterea ad huiusce suae sententiae confirmationem Irenaeum, qui lib. 5. cap. 8. hunc Pauli locum ita interpretari videtur, vt tres in homine partes essentiales constituat, verba eius sunt: Neq; plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est, sed corpus hominis & pars hominis. Neq; enim & anima ipsa secundum se homo perfectus est, sed corpus hominis & pars hominis; neq; spiritus homo: spiritus enim & non homo vocatur. Commixtio autem & vnio horum omnium perfectum hominem efficit. Et propter hoc Apostolus in prima ad Thessalonicenses dicit: Deus pacis sanctificet vos &c. Verùm quàm miserè & hi errent, qui ex his & similibus locis tres hominis partes essentiales constituunt, postea demonstrabo, Et quae vera ac genuina Pauli sit sententia, prolatis aliorum interpretationibus varijs indicabo. Huius itaq; Capitis thesis generalis haec esto.

Dico hominem integrum duabus tantum modo partibus essentialibus constare, anima cum ratione

tione sua & corpore cum organis sensuum, vt neque anima seorsim neq; corpus, sed corporis & animæ coniunctio verum hominem efficiat, quæ duæ partes adeò sunt homini propriæ, vt ne post lapsum quidem aboleri potuerint.

Duo dicæ in hac thesi: Vnum quòd homo tantummodo duabus constet partibus essentialibus anima & corpore, & quia duæ sunt facultates animæ rationalis, intellectus siue mens quã νοῦν Græci vocant & voluntas siue affectus, ideo coniungo animam & rationem, ne diuersæ essentiæ siue substantiæ existimari possint, quemadmodum & corpori organa sensuum coniunxi, ne diuersas substantias videamur statuere. Quamobrem vtraq; pars theseos iam nobis confirmanda erit.

Primam rationem siue potius confirmationis demonstrationem hoc syllogismo hypothetico, (quod & in sequentibus facturus sum cum syllogismi hypothetici & πληθυντῦ maximus sit in disputationibus Theologicis vsus) comprehendo.

Si homo duplici tantum constitutus est exordio duæ tantummodò sunt substantiæ totum hominem constituentes. Syllogismi maior.

Sed homo duplici tantum exordio ab opifice constitutus est. Assumtum.

Ergo duæ sunt tantummodò partes essentiales corpus & anima totum hominem constituentes. Conclusio.

Veritas connexi hypothetici ex assumti elucet con-

firmatione, illud ergò iam probabimus ex scriptura & Patrum authoritate.

Moses libri Originum fidelissimus author, hominis originem describere volens sic ait Gen. 1. ver. 26. Dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram. Ecce prima hominis origo & vnum exordium. Rursus idem Moses cap. 2. vers. 7. Formauit Deus, inquit hominem ex puluere terræ. Ecce alterum hominis exordium. Duo igitur cum sint hominis exordia, Animæ quæ ad similitudinem & imaginem Dei creata est: & corporis, quod ex puluere terræ formatum Moses narrat, necesse est vt homo integer anima saltem & corpore constet. Eodem modo vtramq; hominis substantiam coniungens ait Moses: Formauit Iehoua hominem de puluere terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Habes hic duas hominis partes, puluerem terræ & spiraculum vitæ. Postea de toto homine loquens subijcit. Et factus est homo in animam viuentem.

Hilar. in Psal. 118.

Hanc nostram interpretationem desumsimus ex Hilario in Psalm. 118. qui hæc Mosis verba ita explicat: Homo, inquit, cum externam & internam in se naturam dissonãtem aliam ab alia possideat, & ex duobus generibus in vnum sit animal rationis particeps constitutus, duplici est institutus exordio. Primum enim dictum est, Faciamus hominem ad imaginem nostram; deinde secundò; & accepit Deus puluerem terræ, & finxit homi-

& ac-

nem: Primum opus vt audis non habet in se assumtæ aliunde alterius naturæ originem, Incorporale enim est: fit enim ad imaginem Dei. Secundi verò operis efficientia quanto differt ab institutione prima? DEVS terræ puluerem accipit. Audis hic puluerem sumi & terrenam materiam formari. Primum ergò non accepit, sed fecit, secundum, non vt prius fecit, sed accepit. Hæc Hilarius.

Consentiunt cum Hilario & Mose reliqui Patres. Augustinus in Psalm. 145. Nihil inuenimus amplius in homine, quàm carnem & animam. Idem libro 2. contra Iulian. Dicit etiam victoriosissimus Cyprianus in epistola de Oratione Dominica: Fieri autem petimus voluntatem Dei in cœlo in terra, quod vtrumq; ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet. Nam cum corpus è terra & spiritum possideamus è cœlo, ipsi terra & cœlum sumus, & in vtroq; id est, in anima & corpore, vt voluntas Dei fiat, oramus. Vide præterea eundem Augustinum in expositione propositionum. in epistola ad Roman. tractat. 26. in Iohan. De verbis Domini in Euangelista Ioha. Serm. 43. Eusebius libro 7. de præparat. Euangelica testatur cap. 7. Hebræos primos docuisse (alludens ad caput primum Geneseos) duplici natura hominem fuisse constructum, cuius altera pars, cum in corporea & immortalis sit, verus homo existit ad imaginem & similitudinem Dei. Quod autem

Augustin in Psal. 145.
Idem libro 2. contra Iulian.
Euseb. lib. 7. de præparat. Euan. cap. 7.

circumiacet sibi terrenum corpus est de terra sumtum & in terram rediens.

Gennadius in vita Theodori Antiochi.

Gennadius in Catalogo illustrium virorum in vita Theodoræ Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri testis est, Theodorum hunc aduersus Apollinaristas et Anomeos scripsisse libros, in quibus docet, duabus tantum partibus essentialibus constare, anima scilicet & corpore, sensumq; & spiritum non aliam quandam substantiam esse, ab animæ & corporis substantia diuersum, sed officia esse animæ ingenita, quibus spirat, quibus rationabilis est, quibus sensibile facit corpus.

Tertullianus in libro de Anima, postquam probauit, mentem & animum quem Græci νοῦν vocant, idem esse cum anima, & νοῦν suggestum esse animæ insitum natiuum ac proprium, quo ipsa agat, sapiat ex semetipsa, & se communicet in semetipsa, concludit tandem duas esse potissimas hominis partes, Animam & Corpus.

Alius syllogismus hypoticus.

Si in vniuersa sacra Scriptura multiplices hominis diuisiones, non aliò quàm ad duas tantummodò hominis partes referri possunt sequitur hominem non pluribus quam duabus hisce partibus tantùm constare.

Sed in vniuersa Scriptura nulla hominis diuisio reperitur, quæ alteri etiam hominis parti animæ videlicet & corpori, aut vtriq; simul accommodari posset. Ergo

Ergò duæ sunt tantùm partes essentiales totum hominem constituentes.

Connexum hoc hypotheticum pendet à diuersis hominis in sacris literis diuisionibus, quæ vtrum ad corpus & animmam hominis tantùm applicari possint, an verò alteri etiam cuidam parti hominis conueniant videndum est. Multiplex hominis diuisio ex Paulo.

Prima itaq; hominis diuisio ea est, qua alius dicitur animalis, alius spiritualis. Animalis autem homo is est, qui sola anima ac ratione sua corrupta gubernatur, ne minimam quidem spiritus Dei scintillam habens, vt definit Illyricus: Hic est ille homo, qui à Paulo alias Carnalis vocatur, ob id, quod duæ tantummodò sint, nec plures hominis partes, Anima à quo animalis, corpus à quo corporalis homo vocatur, qui spiritu Dei non est regenitus. Animalis homo quid. Rom. 7. v. 14.

Spiritualis homo vocatur à Paulo, qui gratia & donis spiritus Sancti renouatus est, ab eo totus regitur, & spiritualibus vacat rebus, Deumq; in spiritu & veritate colit, qui etiam non aliundè, quam ex duabus substantijs anima, & corpore constat, quibus gratiæ & dona spiritualia conferuntur. Spiritualis homo quid.

Altera hominis diuisio extat apud eundem Apostolum 2. Cor. 4. ver. 16. qui alium hominem externum, alium internum nominat: Externus homo est corpus ipsum cum anima bruta, videlicet, Secunda diuisio hominis ex Paulo 2. Cor. 4. vers. 16. Homo externus quis.

licet, vegetatiua, sensitiua & locomotiua, quæ hominis pars, labore, ætate atq; afflictionibus tota atteritur & tandem absumitur.

Internus verò homo est rationalis ille, qui intus habitat, qui spiritu Dei quotidiè magis ac magis ad imaginem Dei, ad quam in prima creatione factus fuit, quem Paulus νῦν siue mentem vocat.

Ephes. 3. vers. 16. Det vobis Deus iuxta diuitias gloriæ suæ, vt fortiter corroboremini per spiritum suum in interiore homine, vt inhabitet Christus in cordibus vestris per fidem. Audis hoc loco cor renouatum siue rationem vocari internum hominem, quem lege Dei delectari ait Paulus Rom. 7. vers. 22. Origenes de hoc homine interno & externo ita scribit in proœmio Commentariorum in Canticum Canticorum: In principio verborum Mosi, vbi de mundi conditione conscribitur, duos inuenimus homines creatos, referri. Primum ad imaginem & similitudinem Dei factum, secundum ex limo terræ factum. Hoc Paulus Apostolus satis intelligens, & ad liquidum in his eruditus, in suis literis apertius & euidentius binos esse, & per singulos quosq; homines scripsit. Sic enim dixit: Nam is qui foris est homo corrumpitur, sed ille qui intus est renouatur de die in diem. Vnde puto neminem iam debere dubitare, quod Moses de duorum hominum factura vel figmento

Orig. in proœmio in Cant. Cant.

figmento scripserit in principio Geneſis, cum videat Paulum, qui melius vtiq; quam nos intelligebat, ea quæ à Moſe ſcripta ſunt, duos homines eſſe per ſingulos quosq; dicentem, quorum vnum, id eſt interiorem renouari per ſingulos dies memorat, alium verò, id eſt, exteriorem in quio ſancto corrumpi, perhibet. Hæc Origenes, Qui per interiorem & exteriorem hominem duas hominis partes eſſentiales apud Moſen deſcriptas interpretatur.

Tertia hominis diſtinctio extat apud Apoſtolum Col. 3. verſ. 9. 10. Cum exueritis veterem illum hominem & indueritis nouum qui renouatur in agnitionem congruentem imagini eius, qui ipſum condidit. Quam diſtinctionem repetit. Epheſ. 4. verſ. 22. 23. 24. cap. 2. verſ. 15. Rom. 6. verſ. 6. Ac veterem quidem hominem vocat, veterem illum Adamum ſiue natiuam corruptionem, qua omnes ab vtero matris peccato obnoxij naſcimur, tanquam à maioribus contaminatis & peccatoribus. Nouum autem appellat, qui poſt carnalem illam & veterem ex Adamo natiuitatem per Chriſtum & eius ſpiritum renaſcitur & refingitur, ob quam etiam cauſam noua creatura crebro in ſcriptura vocatur, vt 2. Corinth. 5. verſ. 17. Gal. 6. verſ. 16. Epheſ. 3. verſ. 15. cap. 4. verſ. 24.

Tertia hominis diſtinctio ex Paulo Col. 3. verſ. 9. 10.

Vetus homo quid.

Nouus homo quis.

Vterq; hic homo non alijs partibus essentialibus, quàm anima & corpore constat, vt ex locis allatis facile quiuis intelligere poterit.

Quarta diuisio hominis ex Paulo 1. Cor. 15. v. 47.

Quarta hominis diuisio extat apud Paulum 1. Cor. 15. vers. 47. Alius enim est primus, alius secundus. Vniuersum itaq; humanum genus ab his duobus hominibus trahit originem, ita vt quocunque quis genitus fuerit, illius iuduat imaginem, vt ibidem docet Paulus vers. 48. Iam verò corporaliter ab Adamo cum generemur, eius q; imaginem gestemus, necesse est nos quoq; ex anima tantùm & corpore constare, quemadmodum & ille constabat; sicut vicissim necesse est, omnes eos spirituales euadere, quicunq; à secundo homine spiritualiter generantur.

Ex his liquet connexum illum hypotheticum verum esse, hominemq; constare ex duabus saltem partibus exteriore & interiore, spirituali & corporali, hoc est anima & corpore. Ac anima quidem parui huius mundi forma est, non assistens sed informans, vnde Arist. libro primo de part. animal. cap. 1. dicit, animal cessare cum discedit anima, mortuum hominem licet corporis moles figuram suam retineat; hominem tamen nec esse nec dici posse, cum in eo forma substantialis desideretur. Corpus verò materia est eiusdem mundi, & ob eam rem totus hic mundus ex forma & materia compositus sit necesse est.

Super-

Superest iam vt expendamus locum Pauli ac quid nomine Spiritus & animæ atq; corporis intelligat inquiramus.

Locus Pauli 1. Thes. 5. v. 23. explicatur.

Hieronymus tomo 3. ad Hedibiam quæstione 12. famosam esse hanc quæstionem ait, quid Apostolus per spiritum, animam & carnem intelligat. Multi, inquit, simpliciter hunc locum de resurrectione intelligunt, vt & spiritus, & anima & corpus in aduentum Domini integra conseruentur. Alij ex hoc loco triplicem volunt affirmare substantiam, Spiritus, quo sentimus: animæ qua viuimus: corporis quo incedimus. Sunt qui ex anima tantum & corpore subsistere differentes, spiritum in eo tertium, non substantiam velint intelligi, sed efficientiam, per quam & mens in nobis, & sensus & cogitatio & animus appellantur. Et vtiq; non sunt tot substantiæ quot nomina. Nos autem in præsenti loco (vt supra diximus) spiritum qui cum corpore & anima integer conseruatur, non substantiam Spiritus sancti, quæ non potest interire, sed gratias eius donationesq; accipimus, quæ nostra vel virtute vel vicio accenduntur & extinguuntur in nobis. Hæc Hieronymus.

Spiritus secundum Hieron. quid sit apud Paulum.

Augustinus de fide & Symbolo cap. 10. per spiritum intelligit partem eam animæ, qua carent bestiæ, intellectum scilicet, quem Græci τὸ

August. cap. 10. de Fide.

ἡγεμονικὸν appellant. Per animam vitam quæ coniungimur corpori: per corpus externam hanc et visibilem substantiam ex elemẽtis compositam. Idem tamen Augustinus in libro de dogmatibus Ecclesiasticis, ait: Non est tertius in substantia hominis spiritus, sed spiritus ipsa est anima, pro spirituali natura, vel pro eo, quod spiret in corpore spiritus appellatur. Anima verò ex eo vocatur, quòd ad viuendum animet corpus. Tertium verò, qui ab Apostolo cum anima inducitur, spiritum, gratiam Sancti spiritus esse intelligimus, quam orat Apostolus, vt integra perseueret in nobis, ne vitio nostro aut fugiatur, aut minuatur à nobis, quia Spiritus sanctus fugit fictum,

Lactantius in libro de Opificio Dei cap. 18. hanc quæstionem ex professo tractat, & tandem concludit, animam & spiritum non diuersa, sed vnum & idem esse.

Alij per Spiritum intelligunt ipsum Spiritum sanctum in homine existentem, vna cum eius donis ac virtutibus & toto nouo homine seu corde spirituali, quod in nobis Deus exciso vetere ac lapideo corde creat, quæ in sacris literis vocatur noua creatura ad bona opera condita Eph. 2. ver. 10. Per animam verò intelligunt potissimam illam rationalem mentem, quæ post lapsum in rebus diuinis quauis talpa cæcior est, atq; adeo etiam contemtrix & inimica Dei. Hic ille est propriè ani

malis

malis & terrenus homo, qui tantopere à Scriptura accusatur. Per corpus deniq; intelligunt totam illam brutam hominis partem, quo veluti instrumento vtraq; prior pars vtitur, quam etiam ipsam partem vult Paulus sanctificari. 1. Thess. 4. ver. 3. Nam hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, id est, vt abstineatis à scortatione, & sciat vestrum vnusquisq; suum vas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu Concupiscentiæ, quemadmodum gentes, quæ non nouerunt Deum: quod ipsum etiam repetit, Rom. 6. vers. 19. Sistite inquit membra vestra seruia iusticiæ ad sanctimoniam.

Placet verò mihi in explicatione huius loci sententiam hanc sequi, vt per animam non motum vitalem, nec spiritum partem hominis renouatam intelligamus: hoc enim nullo modo sententiæ Pauli conuenit, quippe quod planè totam orationem absurdam redderet. Sed (cum ex Apostoli & totius Scripturæ vsu planum sit, duas animæ facultates siue functiones esse, intellectum siue mentem, Paulo νοῦν, & voluntatem, quam sequuntur affectus) per spiritum mentem siue intelligentiam, per animam verò affectus & voluntatem accipienda esse videntur. Hæ etenim sunt duæ præcipuæ animæ nostræ partes, quas Deo subijci & indies renouari oportet, vt nihil mente cogitemus, nihil animo cupiamus, nihil corpore efficiamus, quod

Sensus loci Paulini.

quod ipsius verbo consentaneum non sit, vt puri & culpa vacui in aduentu Domini nostri IESV CHRISTI apparere possimus. Non est igitur apud Paulum spiritus aliquid diuersum ab anima, sed ipsius animæ facultas, vt apud Hebræos רוח *Ruach distinguitur à* נפש *cum illi aut coniungitur aut opponitur. Vtramq; tamen facultatem comprehendit nomen* נפש *nephes, cum nulla sit distinctio, vt nunc pro tota anima, nunc pro eius parte accipiatur. Itaq; tum* ἡγεμονικὸν *illud, quod celebrarunt Philosophi, tum etiam* ἐπιθυμητικὸν, *id est, superiores & inferiores animæ facultates sic puras esse cupit, corpusq; ministrare in eadem puritate animæ potentijs vult, vt hoc modo omnino nihil sit in homine, quod non promptè & alacriter pareat Deo. Hæc ad solutionem siue explicationem Paulinæ sententiæ ex Gallasio dicta sunto.*

Ad locum verò Irenæi, qui extat lib. 5. cap. 8. vbi hominem trium commixtionem esse ait, spiritus, animæ, & corporis, ex eodem Irenæo respondeo, qui in initio illius capitis, ne tres in homine existimaretur substantias statuere, præmisit hæc verba: Anima & spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam: perfectus autem homo commixtio & adunitio est animæ assumentis spiritum patris, & admixtæ in carne, quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Audis hoc loco

Irenæum

Irenæum animæ tria tribuere, primo quòd sit condita ad imaginem Dei, secundo quòd admixta sit carni, tertiò quòd assumat atq; inducat spiritum patris. Ita ergo coniungit Irenæus spiritum & animam, vt non duas substantias constituat, sed vt animam donis spiritus sancti vestiat. Animam enim imperfectam esse ait interim, dum spiritus Dei particeps non redditur, quem vbi consecuta fuerit, efficitur homo perfectus, non sustantiæ aut essentiæ ratione, sed quia, in perfectam illam, ex qua per lapsum exciderat, imaginis Dei conditionem & statum restituitur. Atq; hactenus prima pars nostræ theseos, confirmata est, Alteram nunc persequamur.

Thesis.

Dico, duas hasce substantias, totum hominem constituentes, animam scilicet & corpus ita illi proprias esse, vt ne per lapsum quidem aboleri potuerint.

Hanc Thesin Paulus ipse confirmat, 1. Thess. 5. vers. 23. vbi hoc modo orat: Deus pacis sanctificet vos totos, vt integer (nota integer) vester spiritus & anima & corpus in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur. 1. Thes. 5. vers. 23.

Adstipulatur Pauli testimonio illud Christi Matth. 10. vers. 28. Ne timete, qui trucidant corpus, animam verò occidere non possunt: sed timete Matth. 10. vers. 28.

potius

potius eum, qui corpus & animam potest perdere in gehenna.

Ex his scripturæ locis talem conficio conclusionē.

Primus Syllogismus pro confirmatione thesεos.

Si corpus & anima integrè seruantur ad aduentum IESV CHRISTI: & si animam & corpus se non timentium, Deus in gehenna perditurus est, non sunt amissæ per lapsum partes illæ substantiales.

Antecedens autem verum est.

Quare & consequens verum sit, necesse est.

Connexum hypotheticum firmum est ex sententia Christi & Pauli. Si enim anima aut corpus per peccatum abolitum fuisset, absurdè & inutiliter oraret Paulus, vt integrè ad aduentum Christi conseruarentur, Nec minùs incongruè argumentaretur Christus, Deum ideo esse timendum, quod corpus & animam in gehennam dèturbare valeat. Quomodo enim deturbare, quòd dudum perijt, posset.

Loci alij pro confirmatione.

Iacob. 2. vers. 3.

Iacobi 2. vers. 26. τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστιν. Corpus absq; spiritu mortuum est. Genes. 3. ver. 15. Semen eius (mulieris) ipsum conteret caput tuum.

Gen. 3. v. 15.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Syllogismus secundus.

Si per lapsum partes hominis substantiales amissæ sunt: Et primo si anima prorsus amissa est, nullus

nullus amplius homo viuere potest aut existere: Deinde si corpus sublatũ est per lapsum, promissum semẽ neq; nasci potuit, neq; cõterere caput serpẽtis.

Sed absurdum est asserere, nullos post lapsum homines existere aut viuere, absurdum pariter atq; impium promissum semen natum non esse, aut caput serpentis non contudisse.

Quare vi præmissarum propositionum, consequitur absurdum esse fateri atq; asserere, partes hominis in lapsu sublatas esse.

Connexum hypotheticum primo loco positum negari non potest, tum propter locos scripturæ, tum deniq; propter testimonia patrum, qui testantur nullam hominis substantiam, nullas potentias & facultates substantiales per lapsum sublatas esse. Augustin. lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 24. ait: Deus damnando hominem non illi totum abstulit, quod dederat, alioquin nec esset omnino, nec etiã remouit à sua potestate, cum eum Diabolo pœnaliter subdidit. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei. *Mox ibidem: Propagatio quamuis peccato ablata non fuerit, non tamen etiam ipsa talis est, qualis fuisset, si nemo peccasset, non in eo tamen penitus extincta est, velut scintilla quædam rationis, in qua factus est ad imaginem Dei. Paulò post: Ipse (Deus) corpoream, incorpoream q; naturam, istam præpositam, illam subiectam, miris modis copulans & connectens animantem facit.*

Iam verò cum hæc ita se habeant, thesis à nobis proposita, in media luce veritatis versatur & nostram

noſtram ſententiam extra omnem dubitationem conſtituit, nempe duas eſſe partes ſubſtantiales μικροκόσμου, Animam & corpus, quarum neutra lapſu primorum parentum abolita eſt. Ac proinde Clementem Alexandrinum libro quarto Stromatum, non minus verè quàm iucundè hominem Centauro, figmento Theſſalico ſimilem dixiſſe, vt qui ſit compoſitus ex natura rationis participe, & experte rationis, Anima ſcilicet & corpore.

Clemens Alex. lib. 4. Strom. circa init.

CAPVT VI.

DE OPIFICIO ANIMAE ET PRIMVM de varijs facultatum ſeu potentiarum eius diuiſionibus.

Conſideratio humanæ mentis cum duplex ſit partim phyſica, partim diuina, vtramq; vbi opus fuerit, in explicatione doctrinæ de Anima, ſequemur. Ac initiò quidem in hoc capite diſtributionem animæ in ſuas partes ſeu, vt alij loquuntur, facultates perſequemur, vt eò facilius qua de animæ facultate in ſequentibus tractandum ſit, conſtitui à nobis poſſit & determinari.

Multiplex facultatem animæ diuiſio.

Simplicius in proœmio Commentariorum in libros Ariſtotelis de phyſico auditu, duas duntaxat comme-

commemorat animas, Vnam vocat brutam, quam proprio nomine animam appellari docet, quæ vim illam, vitam, sensumq; præbentem, subministrat. Alteram verò rationalem, quam proprio nomine animam siue νῦν vocat, quæ simul rationis, religionisq; capacem suppeditat facultatem. Illam cum brutis quoq; communem, hanc verò tantùm homini propriam esse vult, quam etiam Aristoteles solam dicit extrinsecus aduenire. Hanc Simplicij distinctionem his versibus expressit Iuuenalis:

I. Ex Simpl.

Aristot. lib. 2. de gener. anim. cap. 3.

Iuuenalis.

Sensum è cœlesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona ad terram spectantia, mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoq; &c.

Hanc distinctionem exprimere voluit Philo in libro de Confusione linguarum, vbi species animæ allegoricè recenset: Sunt, inquit, in anima duæ species Orientis, altera melior, rationalem intelligens animam, altera deterior, quo nomine partem brutam comprehendit.

II. Philo in lib. de Conf. linguar.

Athanasius in libro Definit: capite de Anima & Mente, eandem retinuit distinctionem, ait etenim: Dupliciter dicitur Anima, altera quidem est irrationalis, quæ & bestiarum est, altera verò rationalis est, quæ est hominum. Atq; ea quidem quæ bestiarum est, originem suam è terra sumit, iuxta mandatum Dei, quemadmodum diuina dicit scriptura: Et dixit Deus, producat terra reptile

III. Athan. ex lib. Def.

animarum viuarum. Ergò animalia bruta ex terra acceperunt animam suam: ideoq; ad terrena solummodo habent affectionem & omnem appetitum. Quomodo verò anima bestiarum ex terra facta sit dicemus. Dedit terra iuxta præceptum Dei bestijs carnem, caro sanguinem est operata, sanguis autem animalis anima facta est animali irrationali. Quare mortuo rursus animali sanguis concretus & congelatus in carnem transmutatur, caro autem corrupta & resoluta, terra fit rursus, atq; eam ob causam ignorant animalia bruta neque curant res cœlestes. Sed homo ex inspiratione diuina suam animam accepit, ideo res diuinas agnoscit, superna persequitur, & res cœlestes intelligit, estq; rationalis & mente præditus. Hæc Athanasius.

Philo de Agricult.

Philo autem in libro de Agricultura duas hasce species animæ expressius profert: Natura, inquit, vnicuiq; nostrum addidit pecudes ex vna radice animæ duabus veluti stirpibus pullulantibus, quarum altera integra, indiuisaq;, intellectus appellatur, altera ab imo in septem ramos diuiditur, in quinq; sensus & duo instrumenta vocis, quæ multitudo tota bruta comparatur pecori.

IV. Ex Phil. lib. 1. leg. Alleg.

Idem Philo libro 1. Legis Allegoriarum, itemq; libro 2. fol. 66. tripartitam nostram animam esse dicit, habereq; eam, (vt ipse loquitur) tres partes, vnam ratione præditam, alteram irascibilem, tertiam

tertiam concupiscibilem, quas animæ partes, philosophos quosdam, ait, existimare, potentijs tantùm differre, quosdam etiam loco. Ac rationali parti caput attribuit siue cerebrum; irascibili cor siue pectus; concupiscibili inguina siue iecur. Hanc distinctionem secutus est Athanasius in tractatu de Definit. Habet (inquiens) anima tres partes, Rationem, animositatem & appetitum. Atq; per partem quidem rationalem Deum diligit; per animositatem, verò Dæmonibus irascitur, & sese strenuè aduersus eos gerit: per partem appetitiuam appetit æterna bona. Athanas. de Def.

Similis huic est illa Pythagoræ distinctio, quam Suidas refert: Diuiditur, inquit, anima in tres partes, νῶν, φρένας, & θυμὸν. Νῶν & θυμὸν esse in cæteris animantibus ait: φρένας verò in homine duntaxat. Esse autem principium animæ à corde vsq; ad cerebrum. Ac partem eius, quæ in corde sit, esse θυμὸν, iram: φρένας verò & νῶν, hoc est intelligentiam & mentem in cerebro. Diuisio pythag. ex Suida.

V.

Varro in libro de Selcetis Dijs, tres esse affirmat animæ gradus in omni, vniuersaq; natura. Vnum, qui omnes partes corporum quæ viuunt, transit, & non habet sensum: hanc vim in nostro corpore promanare dicit in ossa, vngues & capillos: Secundum gradum animæ dicit, in quo sensus est. Hanc vim peruenire ad Ex Varrone.

oculos, aures, os, tactum &c. tradit. Tertium animæ gradum summum dicit, quem animum vocat, in quo intelligentiam præeminere, docet, Hoc, præter hominem, omnia bruta carere, asserit.

VI. Platonis diuisio.

Plato & Pythagoras, quos gradus Varro vocat, tres animæ species dicunt, vegetalem, sensibilem & rationis participem. Ac in homine ipso animam duas habere partes tradunt, alteram rationis expertem, alteram participem, Et rursus illam duplicem esse Iræ & Cupidinis, quas omnes locis faciunt distinctas, vt Plato ipse libro 4. de Rep. disputat.

VII. Diuisio animæ ex Aristotele.

Aristoteles tribus illis animæ differentijs, quartam addidit ad motum spectantem, quam progressibilem vocat: sed in anima rationali partes illas seu rectius potentias, solis putat esse distinctas ministerijs, non reipsa aut loco, idcirco potestates nominat, quæ (vt idem Philosophus in Ethicis ait) ad opera referuntur.

Aphrodisei diuisio.

Alexander Aphrodiseus, hanc Aristotelis diuisionem amplectitur, & quo pacto potentiæ sint in anima pluribus declarat.

Nos, ex varijs hisce atq; multiplicibus diuisionibus, quæ probabilior esse videtur, eruere conabimur, ac totam animæ & potentiarum eius distributionem, ob oculos proponemus, cautionibus hisce præmissis.

Prima: Vna est anima in homine cuilibet indiuiduo

individuo propria. Ac proinde cum dicimus tres aut plures esse animas, illud non ad animæ substantiam in homine, sed ad facultates atq; potentias referendum est. Vnde lapsos esse illos turpiter necesse est, qui in homine vegetatiuam, sensitiuam & rationalem, tres esse essentia distinctas animas, arbitrati sunt, quemadmodum Manichæi, quibus obsistit Augustinus libro 10. super Genesi ad Liter cap. 14. In quo & Didymus, Scotus, Paulus Venetus & quidam alij errarunt, ignorantes vel obliti animam rationalem has omnes facultates corpori distribuere.

Cautiones & regulæ in diuisione animæ & facultatum eius.

Secunda: Hinc statim alia nascitur Cautio, vt obseruemus animam secundum se suamq; substantiam corporis formam esse, non astantem, sed informantem materiam, vt in Concilio Viennensi & Lateranensi 10. Sess. 8. constitutum Aristotelicè & Theologicè fuit. Quamobrem errauit Plato, qui statuit, animam duntaxat corpori assistere, vt nautam naui, vt & Philoponus in libr. 2. Aristotelis de Anima cap. 1. & Gregorius lib. 2. de anima cap. 2. docent.

II. Cautio.

Tertia cautio. Animæ facultates tres, Vegetatiua, Sensitiua & Rationalis, in distinctis viuentibus inter se etiam substantia differunt. Sicut enim anima sentiens est nobilior vegetatiua: ita intelligens nobilior est vtrisq;, licet anima nutriēs siue vegetatiua origine cæteris omnibus prior sit.

III. Cautio.

Imò quia prior anima in posteriori continetur, ceu trigonum (vt Aristoteles ait) in tetragono, ideo vis vegetatiua in sentiente, & vtraq; in rationali includitur. Ob eam causam rectè perhibetur à Physicis, hominem primo vitam plantæ in conceptione viuere: deinde vitam animalis in motu & sensu: vltimo tandem vitam hominis, cum scilicet rationem adipiscitur.

V. Cautio. *Vltima cautio. Diligenter obseruandum est, animam aliter à genere animarum: aliter à modo viuendi aliter deniq; à potentijs esse distinguendam, ne distinctio à genere sumta confundatur cum ea, quæ à modo viuendi & potentijs sumitur. Hisce cautionibus veluti fundamentis iactis, nunc ipsius animæ diuisiones enumerabimus hoc ordine: Primò diuisionem animæ, genera animarum exponentem, recensebimus. Secundò: Hinc aliam à modis viuendi, qui in diuersis corporibus animatis deprehenditur, subiungemus: vltimo quæ potentias animæ recensent subijciemus.*

Prima diuisio ad genera Animarum spectans.

Animatorum tria sunt genera, Nam quoddam est vegetatiuum, quoddam sensitiuum, quoddam intellectiuum.

Huius

Huius diuisionis sufficientiam sic demonstro: Omne animal ab anima dictum est, quæ principium est operationum vitæ. Quotcunq; igitur erunt opera vitæ, tot erunt genera animarum. Triplex vero opus vitæ existit. Primum est, quod exercetur per organa corporea & per qualitates corporeas, nempe caliditatem frigiditatem, humiditatem & siccitatem, quæ causantur ab agente intrinseco, quod est anima vegetatiua. Secundum opus vitæ est, quod exercetur quidem per organa corporea à principio intrinseco, sine primis tamen qualitatibus corporeis. Et hoc opus exercetur ab anima sensitiua.

Tertium opus vitæ est, quod exercetur sine organo corporeo à principio intrinseco, & sine omni qualitate sensibili. Hoc opus exercet anima intellectiua. Primum vitæ siue operationis genus plantarum est: secundum animalium: tertium hominis. Quare etiam genus primum animæ, quod est vegetatiuum, plantarum erit proprium; secundum, quod est sensitiuum animalium; tertium, quod est intellectiuum hominis. Ex his patet, tria duntaxat esse genera animarum, Vegetatiuum in plantis, sensitiuum in animantibus brutis, intellectiuum in solo homine.

Secunda diuisio, quæ sumitur à modis viuendi.

QVadruplex est anima, secundum quatuor modos, quibus in aëre diuersa animatorum genera cernimus, Vegetatiua, sensitiua, locomotiua & intellectiua. Huius diuisionis sufficientia sic demõstratur. Sicut genera viuentium sunt: ita quatuor esse modos viuendi necesse est. Primum genus viuentium eorum est, quæ habent solum principium vegetatiuum, cuius officia sunt, nutrire, augeri & generare sibi simile. Ad hoc primum genus referuntur plantæ.

Secundum est eorum quæ habent in se principium vegetatiuum & sensitiuum sine motu locali, qualia sunt imperfecta animalia vt ostrea & Conchilia. Tertium est eorum quæ habent in se principium vegetatiuum, sensitiuum & motiuum secundum locum, vt sunt animalia perfecta, Canis, leo, asinus &c. Quartum est eorum, quæ habent in se principium vegetatiuum, sensitiuum, motiuum secundum locum & intellectiuum. Atq; hoc modo viuendi præditus est homo. Neq; obijciat aliquis, facultatem appetitiuam quintum genus viuentium constituere. Philosophus enim rectè censuit. appetitum esse in omni viuente, in quo est sensitiuum, per quod appetitus efficitur. Ex his

itaq;

itaq; apparet, quo pacto possint constitui quatuor animæ facultates, iuxta quatuor vivendi modos.

Vltima diuisio sumpta ab animæ facultatibus.

POtentiæ animæ sub quibus omnibus aliæ particulares animæ facultates collocantur, quinq; sunt: *Vegetatiua, Sensitiua, Motiua secundùm locum, appetitiua & intellectiua. Quibus omnibus ad summam reuocatis, potest intelligi, cur alij triplicem, alij, quadruplicem alij deniq; quintuplicem faciant animam. Si enim genera animæ spectes, tria meritò illa recensentur, quorum vnum est vegetatiuum, alterum sensitiuum, tertium intellectiuum. Si verò genera viuentium, siue potiùs modos viuendi spectes, quatuor animæ recenseri iure possunt, vegetatiua, sensitiua, motiua secundùm locum & intellectiua. Deniq; si genera potentiarum animæ consideres, non immeritò ab alijs quinq; potentiæ recensentur, vegetatiua, sensitiua, motiua secundùm locum, appetitiua & intellectiua. De his itaq; omnibus animæ facultatibus ordine tractandum nobis hîc erit, vt eò facilius determinare queamus, de quo nam animæ genere in hoc opusculo sit agendum.*

DE VEGETATIVA

Animæ potentia.

VEgetatiua anima reliquis omnibus prior est, cuius origo ex verbo Dei cœpit, quemadmodum Moses Genes. 5. prolixè docet, & in Actis testatur Apostolus Actor. 17. Deum omnibus vitam, halitum & omnia tribuere. Huius animæ fit mentio Ezech. 22. vers. 27. Sicut leo rugiendo rapiens rapinam, comederunt animam Thren. 2. vers. 19. Cum effunderent animam suam in sinu matrum suarum. Lucæ 12. vers 19. Anima mea habes multa bona: Psalm. 44. vers. 26. Anima incurvauit se in puluerem, id est, vis vegetatiua. Hæc sola inter reliquas animæ potentias imperio intellectus non subiacet, verum sponte perficit suas operationes.

Omnes autem, quas habet operationes per tres actus perficit, & ob id tres duntaxat eius operationes esse possunt, nempe nutrire, augmentare & generare sibi simile.

Nutritionis quatuor sunt facultates, quarum prima est attractio, secunda concoctio, tertia retentio, vltima expulsio. Attractio initium præbet concoctrici, qua cibum appetimus, attrahimus atq; in omnia membra diffundimus. A concoctrice facultate resultat primo sanguis in hepate, ex sanguine fluit spiritus vitalis in corde, ex spiritibus

cordis

cordis fluunt spiritus animales in cerebro, ex toto & ex omnibus hisce partibus originem trahit semen, per quod fit generatio. Nutritiua igitur facultas efficit, vt formatus & genitus fœtus nutriatur, & proinde huiusce facultatis finis est constitutio viuentium. Altera animæ vegetatiuæ operatio est augmentatio, cuius finis proprius est subiecti siue geniti perfectio, quem ipsum finem, quò commodiùs hæc facultas assequatur, subseruiunt ipsi quoq; quatuor istæ facultates naturales, attractiua siue appetitiua, concoctrix, siue digestiua, retentiua & expulsiua. Generationis (quæ tertia est operatio animæ vegetatiuæ) tres sunt virtutes, vna est generatrix, secunda formatrix, vltima seminalis. Facultas generatrix efficit, vt naturalissimum omnium viuentium & non orbatorum opus sit, generare tale, quale ipsum est. Formatrix inter omnes generationis virtutes admirabilis est & diuina. Quamobrem à multis Philosophis non immeritò quæsitum est, quæ nam sit ea virtus, cuius vi animal certæ speciei in matrice formatur, corporis q; figura certa effingitur, an in ipso semine lateat, an verò à communi quadam mundi anima (vt Platoni et Virgilio placuit) proficiscatur. Ego verò non dubito asserere, hanc vim seminis à Deo esse inditam, hocq; medio DEVM in formando fœtu vti; vt summa in hoc opere ars, summa vis, atq; sapientia Dei conspiceretur.

Semi-

Seminalis virtus ea est, quæ in seminibus existens, efficit, vt fœcunda sint semina, quæ vis spiritu animali & vitali, & in summa calore naturali, elemento (vt quidam aiunt) stellarum, virtute sua respondente, alitur.

Et hæc de prima animæ potentia, quam vocauimus vegegatiuam, sufficiant.

DE SENSITIVA ANImæ potentia.

Animæ sensitiuæ origo.

ORigo *animæ sensitiuæ vnde sit aperit Paulus Act. 17. vers. 28. cum ait, In ipso viuimus, mouemur & sumus, quibus verbis de plano significatur, Deum huius quoq; potentiæ, sicut & cæterarum, authorem & originem esse, Mose quoq; id attestante Gen. 2. Et factus est homo in animam viuentem: Item Geneseos 1. vers. 24. Producat terra animam viuentem iuxta genus suum. Hanc potentiam animæ definit Augustinus in libro Ecclesiast. dog. cap. 2. & Damascenus in libro de decretis & placitis: Anima, inquit, est id, quod animat corpus, ad viuendum & sentiendum. Et Simplicius in proœm. librorum Aristotelis, in brutis, facultatem eorum & formam vocat. Aristoteles lib. 2. de generat. animal. cap. 4. substantiam corporis animalis vocat. Et libro 1. de Anima cap. 4. appellat substantiam formam et actum corporis viuentis,*

Gen. 1. v. 24. & 2. v. 7.

uentis, ratione cuius est corpus. Atq; ita vult omne animal sua vi & natura indita viuere atq; moueri ex tota substantia. Sed rectiùs Philo censuit in libro de mundi opificio, non aliam posse dari vitæ & motus animalium rationem, quàm voluntatem Dei & legem ab ea præscriptam, quæ rebus omnibus naturalibus ordinem & naturam constituit. Hunc ordinem atq; naturam animis brutorum insitam describit Athanas. lib. de Definit. cap. de Anima & mente. Quomodo, inquit, animam bestiarum ex terra factam dicemus? Dedit enim terra iuxta præceptum Dei bestijs carnem, caro sanguinem est operata, sanguis autem animalis anima facta est animali irrationali. Quare mortuo rursus animali sanguis concretus & congelatus in carnem transmutatur, caro autem corrupta & resoluta terra fit rursus & puluis, ex quo sumpta fuit. Hoc illud est quod ait Dominus apud Mosen Leuit. 27. Anima eius in sanguine est. Huius sit animæ mentio Gen. 1. vers 30. Omne viuens, in quo est anima viuens. Ex. 4. v. 19. Mortui sunt qui quærebant animam Mosis. Iob. 2. vers. 10. In cuius manu est omnis viuentis anima. Cæterum vt ad potentias huius animæ progrediamur, illæ distinguuntur per actus suos, quemadmodum & actus distinguuntur per obiecta sensuum. Cum autem dupliciter agat anima sentiens, intus nimirum & foris

foris, apparet, duplices quoq; esse sensus; Exteriores & Interiores. Exteriores distinguuntur per obiecta. Quare, cum obiecta omnia omnium sensuum exteriorum sint tantum quinq;, visibile, audibile, gustabile, odorabile & tangibile, sequitur quinq; simili ratione esse sensus exteriores, visum, auditum, gustum, odoratum & tactum.

Visus nobilior inter omnes sensus exteriores, cum ratione obiecti tum instrumenti tum denique ratione modi operandi.

Visus nobilior est inter omnes sensus, cuius obiectum duplex est, primum & principale est color, secundum adæquatum, quod non est color, cum plura sint quæ videamus colorem non habentia, sed communis nomine visibile vocatur sub quo comprehenduntur omnia, quæ videri possunt in lumine.

Medium visus triplex: Similitudo rei visibilis, per & lumen.

Medium visus triplex est, ad producendum actum videndi semper necessarium, vt non immeritò Democritus, asserens nos exquisitiùs videre, si medium esset vacuum, ab Aristotele reprehendatur.

Primum est similitudo rei visibilis: secundum est, in quo recipitur ipsa species obiecti visibilis, & quod defert eam vsq; ad potentiam visiuam. Hoc medium vocat Philosophus, corpus diaphanum transparens, non coloratum secundum se, sed receptiuum omnium colorum. Tertium medium est lumen, disponens corpus diaphanum, vt sit aptum ad deferendam speciem rei visibilis, vsq; ad organum visus.

Orga-

Organum siue instrumentum visus sunt duo oculi, locati in summa corporis parte, veluti in specula, ex cauis ad hunc vsum à natura peculiariter constructis, vt per eos deferri possint vsq; ad sensum communem, species visibiles receptæ in ea oculorum parte quæ pupilla dicitur. De hoc sensu loquitur psaltes, Psalm. 94. An qui finxit oculum non videt? Item Prouerb. 20. Oculum videntem & aurem audientem Iehoua etiam fecit ambo ista.

Organum visus oculi.

Dignitate succedit visui auditus. Ac vt visus pro disciplinarum inuentione, ita auditus pro apprehensione disciplinarum est apprimè necessarius. Obiectum auditus sonum esse ab omnibus conceditur, ad quem producendum tria requiruntur corpora, percutiens, percussum, atq; medium. Medium auditus est omne corpus, quod potest deferre sonum ad aures. Ac principale quidem est aër. Organum siue instrumentum auditus auris est, quæ continet duo iuxta Philosophum, Primo quandam pelliculam in interiori parte auris sitam, quam μίνιγξα vocant, quæ affixa est neruo egredienti à cerebro ad aurem. Ac per hunc neruum deferuntur species soni ad sensum communem. De hoc sensu psal. 94. An qui plantauit aurem non audit? Item Prouerb. 20. Aurem audientem Iehoua fecit.

Auditus sequitur visum dignitate.

Odora-

Odoratus obiectum odor est, & est præstantior in homine, quam in reliquis animantibus, cum plures odorum differentias percipiat, licet percipiendo odore, per distantiam & intensionem aliquibus cedat.

Medium olfactus est aqua & aër, teste Philosopho in libro 2. de Anima, & lib. de sensu & Senato. Ac per aquam odorant animalia aquatica vt pisces, per aërem animalia terrestria. Et quemadmodum medium perspicuum per se expers est omnis luminis & coloris, & medium auditus omnis soni sic aër & aqua omnis odoris.

Organum odoratus.

Organum odoratus nares sunt, in quarum summitates duo nerui egredientes ab anteriore parte cerebri descendunt, per quos odor defertur ad cerebrum & sensum communem. His verò neruis affixæ sunt duæ caruncvlæ similes mamillarum papillis, spongiosæ & raræ, vt aerem recipere facilius possint, deferentem species odorum ad nares. Cooperantur his caruncvlis duæ pelliculæ ipsas cooperientes. Sicut enim homo non videt, nisi aperiantur palpebræ: ita animantia respirantia non odorant, nisi per attractionem aëris eleuentur illæ pelliculæ, & deferant species odoris ad duas illas caruncvlas molles & spongiosas. Meminit Paulus de sensu odoratus 1. Cor. 12. Si totum auditus, vbi odoratus?

Gustus

Gustus in homine longè perfectior quam in cæteris animalibus reperitur. Obiectum adæquatum gustus sapor est, cuius subiectum humidum esse debet, cum sapor in humore tanquam suo fundamento, perinde vt odor in siccitate dominetur. Gustus obiectum.

Medium gustus non potest esse extrinsecum, vt in prædictis sensibus: nisi enim sapor realiter vniatur cum organo gustus, nequaquam gustari potest. Est itaq; medium gustus caro, sed non quælibet, verum illa sola quæ est in lingua & protenditur vsq; ad radicem linguæ, quæ porosa, saliuosa, siue humida, & sine sapore est. Medium gustus.

Instrumentum gustus est superficies linguæ & palati, vestita pellicula neruea, eius origo est dilatato ramo paris tertij neruorum cerebri. De gustu meminit Dauid Psal. 119. Quam dulcia sunt palato eloquia tua præ melle ori meo. Organum gustus.

Tactus hominis excellentior est tactu cæterorum animantium, & inter homines illi sublimioris ingenij esse dicuntur, qui tactu exactiore pollent. Quare benè dixit Aristoteles, quòd molles carne apti sunt mente. Tactus in homine excellens.

Obiectum tactus duplex est, principale & minus principale. Principale obiectum sunt quatuor primæ qualitates, caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, vnde si manus apponatur alicui Obiectum tactus duplex.

corpori, quod his qualitatibus caret, sensus tactus proprie esse non potest. Secundarium obiectum sunt qualitates secundæ, durum molle, asperum, glabrum, rarum, densum & his similes.

Medium tactus duplex.

Medium tactus similiter duplex est iuxta Philosophum, quoddam per se, quoddam per accidens. Medium per se ex sententia Aristotelis caro est, quæ est in toto corpore. Medium per accidens est corpus extrinsecum, pura aqua, vel aër, vel aliud corpus humidum.

Organum tactus secundum alios aliud.

Organum tactus secundum quosdam est caro simpliciter, quæ opinio Aristotelis est, lib. 1. de Anima, secundū alios est caro neruis permixta, quā opinionem secutus est Auicennas. Deniq; secundum vulgarem opinionem est pellicula neruea per ambitum vniuersi corporis substrata, cuius beneficio, quidquid frigidum aut humidum, aut calidum & siccum in toto corpore sentitur, defertur ad sensum communem. De sensu tactus meminit Christus Iohan. 20. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet. Atq; pariter omnes sensus exteriores enumerantur à Dauide, in illa idolorum irrisione: Os, inquit, est eis, & non loquuntur: oculi sunt eis, & non vident, aures sunt eis, & non audiunt, nares sunt eis, & non odorantur, manus sunt eis, & non palpant.

De sensibus interioribus.

Sensus

Sensus interni sunt, qui sensuum exteriorum operationes recognoscunt, dijudicant, easq; hoc modo perficiunt. Horum à quibusdam quinque recensentur, nempe sensus communis, Imaginatiua, phantasia, Cogitatiua siue æstimatiua & memoria.

Aristoteles tamen tres duntaxat sensus interiores ponit: Sensum communem, phantasiam & memoriam; inter quos communis in ordine primus est. Horum trium sensuum organum continuum est cor ex sententia Aristotelis. Ad ipsum enim omnia sensuum exteriorum obiecta deferri censet, atq; se habere vt centrum circuli, ad quod omnes lineæ rectæ terminantur. Alij tamen interiorum sensuum organum cerebrum esse censent. Cumq; tres sint cellulæ siue ventriculi Cerebri, anterior qui duplex est, medius, & posterior, in anteriore sedem obtinere τὸ φανταστικὸν siue communis sensus putatur: medium τὸ διανοητικὸν seu cogitatio occupare creditur: tertius vero & μνημονευτικὸν hoc est memoriæ causa exculptus esse existimatur.

Horum sensuum fit passim mentio in sacris literis: De memoria Deut. 24. vers. 9. 18. Memento, quod seruieris in Aegypto: 2. Tim. vers. 8. Memento Christum resurrexisse ex mortuis.

De cogitatiua ait Lucas cap. 11. vers. 17. Ipse autem sciens cogitationes eorum dixit: Quid cogitatis mala in cordibus vestris. Videtur autem Paulus exteriores & interiores coniunxisse Rom. 1. vers. 20. cum ait: Dei inuisibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur. Atq; hactenus de anima sensitiua & eius potentijs in specie.

DE VIRTVTE MOTIVA.

Motiua virtus fundatur in substantia cerebri & in spinali medulla, quæ eius est riuus atq; principium neruorum, ex quo deriuantur omnes motus in animali perfecto. Est autem duplex virtus motiua, alia perfecta, alia imperfecta.

Perfecta est in animalibus perfectioribus. Huius species sunt tres: Motus ad natandum, vt in piscibus: Motus ad volandum, vt in auibus: Motus ad ambulandum. Hic rursus duplex, pronus, vt in brutis, erectus, vt in homine.

Imperfecta est in animalibus imperfectis, cuius duæ sunt species: Motus ad dilatandum, vt in vermibus: motus ad serpendum, vt in anguibus

bus & serpentibus pedibus non carentibus: & rependum, vt in serpentibus & anguibus pede carentibus. Atq; hæc tantum de virtute motiua.

DE APPETITIVA ANIMAE POTENTIA.

APpetitiua anima siue potius animæ facultas est inclinatio naturalis, ad aliquam formam vel perfectionem acquirendam. Est autem triplex facultas appetitiua:

Naturalis, Sensitiua & Rationalis.

Appetitus naturalis inanimatis etiam communis est, quæ naturalem & insitam vim habent, ad quam ferri appetunt, teste Aristotele libro octauo Physicorum, & libro quarto de cœlo, vt cum leuia sursum & grauia deorsum mouentur, idq; à principio intrinseco & propria forma. Hæc vis in animalibus virtutem vegetatiuam sequitur.

Appetitus sensitiuus communis etiam est homini cum animantibus, vt naturalis cum plantis & inanimatis. Huius duplex est potentia: Concupiscibilis & Irascibilis: Concupiscibilis ea est, qua animal inclinatur ad bonum prosequendum & malum fugiendum simpliciter. Et sex sunt præcipuæ eius actiones: Amor & odium in inclinatione: Desiderium & fuga in

prosequendo: lætitia & tristitia in adeptione vel amissione rei.

Irascibilis (quæ Athanasio animositas dicitur) est qua animal inclinatur vel ad bonum vel ad malum sub ratione ardui. Et quinq; sunt eius passiones: Spes & desperatio quæ pertinent ad imminens arduum: audacia ad aggrediendum: timor ad succumbendum: ira ad superandum arduum, quæ omnes potentiæ & passiones voluntati siue appetitui rationali subiacent, de quo in sequentibus.

Appetitus rationalis est, quo anima inclinatur ad aliquod bonum apprehensum per intellectum sub ratione boni simpliciter, vel saltem apparentis. Hic appetitus alio nomine dicitur voluntas, cuius duplex est actio. Prior, qua vtitur homo ad rectum finem & felicitatem consequendam, æterna admirando & laudando creatorem, mala verò detestando. Hæc à Philosophis vocatur virtus. Altera est, qua homo cognitione Dei fruitur, quæ est verus finis hominis & in sacris literis vita æterna vocata.

Ioha. 17.

DE INTELLECTIVA Animæ potentia.

ORigo & initium animæ rationalis ex illo spiraculo diuino cœpit, cuius Moses Gen. 2. vers. 7.

verſ. 7. meminit: Spirauerat, inquit, Iehoua in faciem eius ſpiraculum vitæ, & fuit homo in animam viuentem. Quamobrem non ſine cauſa & Paulus Heb. 12. verſ. 9. Deum ſpiritum ſiue animarum patrem vocat, qui nutu ſuo animas euocat è corporibus, prout ipſi placet. Hanc animam definit Auguſtinus libr. de ſpiritu & anima cap. 8. Anima, inquit, ſubſtantia eſt rationalis, intellectualis, à Deo facta, ſpiritualis, non ex Dei natura excreta, ſed potius creatura ex nihilo facta, in bonum malumq; conuertibilis. Libro autem de cognitione veræ vitæ cap. 5. aliam definitionem adfert: & libro de ſpiritu & anima capite ſexto, finitionem Philoſophorum, qui animam dixerunt omnium rerum ſimilitudinem, pluribus verbis examinat. Eiuſdem libri cap. 54. ait: Anima eſt homo ille interior, quæ cum viuificat corpus, anima eſt, dum vult, animus, dum recolit, memoria, dum iudicat, ratio, dum ſpirat & contemplatur, ſpiritus, dum ſentit, ſenſus, vnde & ſententia nomen accepit.

Ariſtoteles libro primo de Anima hanc definitionem ponit: Anima eſt actus primus corporis Phyſici organici, potentia vitam habentis. Quam definitionem etſi omnibus animæ generibus ipſe conuenire docet;

inprimis tamen intelligenti conuenit. Quare paucis explicanda est, vt sequens diuisio facilius intelligatur. Primùm autem omnium dicitur esse actus. Omnis enim substantia naturalis aut est materia, aut forma, aut compositum.

Anima verò neque est materia, quia ipsa potius recipitur in materia, nec est compositum, quia compositum ex forma & materia est illud quod viuit: anima verò non est id quod viuit, sed potius per quod viuentia viuunt; non itaq; potest esse compositum. Relinquitur itaque esse formam forma autem actus est, quia forma dat esse actu rei, quæ antea erat in potentia. Quare sequitur animam esse actum corporis organici. Deinde in definitione additur, animam esse actum primum, pro qua particula tenendum est, actum duplicem esse, primum & secundum. Actus primus est ipsa forma vel substantialis siue accidentalis; quæ actuat materiam in qua est: secundus actus est operatio ipsa, per quam suas functiones animæ facultates perficiunt. Anima igitur dicitur esse actus primus substantialis, non autem accidentalis, quod ipsum ex eo satis liquet, quod anima det actu esse rei animatæ, quæ duntaxat erat in potentia. Est autem hæc differentia inter actum substantialem & accidentalem, quod

quod actus siue forma substantialis rem actu simpliciter esse facit, quæ prius erat duntaxat in potentia: actus verò siue forma accidentalis facit rem esse secundum aliquod accidens, vt calor manum facit actu esse calidam, Sed non absolutè & simpliciter, quia iam actu existit substantia, sed quatenus duntaxat est calida. Tertio loco additur *in definitione animam esse actum primum corporis* PHYSICI, *ad cuius particulæ intellectum sciendum est, corporum siue substantiarum corporearum, quasdam esse naturales, quasdam artificiales, sicut Aristoteles libro secundo physicorum tex. 1. docet: Naturalia corpora sunt, quæ habent in se naturam, quæ est principium motus & quietis. Artificialia corpora sunt, in quibus causa motus & quietis est principium extrinsecum seu agens artificiale, vt architectus domus, faber, securis. Inter hæc autem corpora hæc potissima est differentia, quòd corporis naturalis, & forma est naturalis, & substantia & materia, licet in potentia: Corporum verò artificialium sola materia est naturalis siue substantialis, forma autem accidentaria est. Nunc verò dicimus in definitione, animam esse actum siue formam corporis non artificialis, sed naturalis, quod in se habet principium motus & quietis.*

Quartò additur in definitione, Organici, pro quo notandum est duplicia esse corpora naturalia, Organica & Inorganica. Corpora organica sunt, quæ diuersa habent membra & varias partes, propter exercenda varia opera, quæ illis conueniunt corporibus, vt corpus hominis est valdè organicum. Habet enim diuersa membra, quibus ceu instrumentis animatur ad perficiendas suas operationes, vt ad videndum oculos, ad olfaciendum nares, ad ambulandum pedes, ad capiendum manus &c. Corpora verò non organica appello, quæ non habent diuersas partes aptas ad exercendum, vt corpus terræ, lapidis, ligni, aliorumq; inanimatorum.

Iam verò dicimus hoc loco, animam esse formam corporis organici, & quò quælibet anima plures habet operationes, eò pluribus instructum organis sibi vendicat corpus, quod actuet. Vltimo additur particula, vitam habentis in potentia.

Ad intelligendam hanc particulam obseruemus, vitam duobus modis posse capi, primò pro essentia viua actu: secundò pro operatione vitæ. Dicimus itaq; animam esse actum corporis, vitam in potentia habentis, hoc est, habentis operationes vitæ in potentia, licet actu habeat, qua semper actu viuificatur: vt exempli gratia, corpus quidem animalis semper habet animam in se sensitiuam, non tamen semper sentit actu, nisi in potentia.

tia. Quare vitam in prima significatione si sumamus, corpus physicum organicum semper vitam habet actu: si verò sumamus in secunda significatione, non semper habet operationes vitæ actu, sed duntaxat in potentia. Atq; hactenus de definitione: nunc diuisionem animæ rationalis subnectamus.

Duæ sunt potentiæ animæ rationalis iuxta Aristotelem: Intellectus & voluntas. Ac de voluntate quidem supra dictum est, nunc intellectum persequemur.

Sciendum itaq; est in omni natura duo inesse, primum quod loco materiæ siue potentiæ est, deinde quod loco formæ, actus, causæ & efficientis est. Hæc duo in anima, quoq; rationali reperiuntur, quare duplex erit Intellectus, Possibilis & Agens.

Intellectus possibilis est cuius potentia & officium est, omnia cognoscere, quamobrem materialis dicitur. Sicut enim materia prima actu nunquam existit, sed (vt Aristotel. lib. 1. Physicor. cap. penult. ait:) in potentia est fieri omnia: ita Intellectus possibilis Aristoteli est tanquam rasa tabula, in qua nihil extat depictum, verùm depingi imagines quæuis possunt: ita intellectus possibilis nominatur, qui quidem in præsentia non cognoscit omnia, nihilominus tamen formarum intelligibilium capax est,

est, easq; apprehendere potest. Ideoq; agente intellectu prior est, relictæq; materiæ rationem extruit.

Intellectus agens est, cuius officium est, actu omnia cognoscere & facere, & ob eam causam Ens actu vocari solet, eò quòd tàm latè pateat, quàm patent latissimè omnia Entia in vniuersitate rerum, siue sint substantia siue accidentia.

Hic immaterialis est, & causa efficiens atq; lucerna phantasmatum, & ob eam causam nobilior est intellectu possibili, ceu lumen & agens.

Dicitur autem agens, quod eius finis sit & officium in actum descendere, actuq; omnia intelligere. Quamobrem ab hoc fine & officio diuersas ac multiplices, sortitur appellationes. Cum enim solummodò speculatur, speculatiuus dicitur, & originem præbet scientijs speculatiuis. Rursus cum finis eius est praxis, practicus dicitur, siue actiuus, ac proinde toti Philosophiæ practicæ originem præbet.

Hanc solam esse causam existimo, cur sacræ literæ, hac sola animæ facultate hominem à brutis differre tradant. Quò pertinent illa Dauidis verba Psalm. 32. vers. 9. Ne sitis sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Ab hac animæ ἐνεργείᾳ, intellectum νῶν vocant sacræ literæ Rom. 1. vtpote mentem intelligentem & dijudicantem τὸ νοητόν.

Atq;

Atq; hactenus de intellectiua animæ potentia.

Ex his itaq; omnibus, cum luce clarius appareat, diuinam illam animæ humanæ facultatem, quam rationalem & intelligibilem vocauimus, vt homini propriam, inter reliquas animæ facultates multis parasangis anteire, atq; excellere: nos quoq; in progressu nostri opusculi de hac rationali tantum, atq; diuina Anima, sermonem habituri sumus.

CAPVT VII.

AN SIT IN HOMINE ANIMA Rationalis.

QVi nullam in homine rationalem Animam profitentur, perinde, vt mihi videtur, insaniunt, vt ij qui solem lucere negant.

Omnes enim solem & videmus, & eius in nobisipsis operationes experimur, sicut & animæ beneficio viuimus, & eius in homine operationes videmus. Hanc esse causam puto, quod neq; apud Tertullianum, neq; Epiphanium, neq; Theodoretum: aut Augustinum, vllos vnquam legamus hæreticos fuisse, qui animam nullam in homine esse, ausi fuissent profiteri: Licet Athanasius in

oratione

oratione contra Idola subindicare videatur, quosdam hæreticos suo tempore extitisse, qui nihil amplius hominem esse, quam speciem illam corporis, quæ sub aspectum cadit, asseruerint, Sed quemadmodum pauci, illiq; extremè perditi extiterunt, qui Dei essentiam prorsus omnem pernegarunt: ita existimo non multos extitisse, qui animam in homine omnem negare ausi fuerint Quamobrem hoc caput breuissimis coërcebimus terminis, Neq; enim multa probatione opus est, vbi rei natura per se, validum suæ existentiæ præbere potest argumentum.

Thesis huius capitis.

Dico vnam esse in quolibet homine animam rationalem, singulis tamen propriam, quæ & corpus societate sua viuificat, & semetipsam sua ratione disponit.

Hæc Thesis explicatione pariter ac confirmatione opus habet, eam itaq; primum explico.

Hominis vox, quæ Hebraico אדם *Adam dicitur, vt primo homini non tàm appellatiuum, quàm proprium fuit: (cum nemo initio præter illum vnum esset) ita creata postea fœmina, hoc nomen vtriq; sexui commune fuisse, docet Scriptura. Nam cùm Paulus ait Roman. 7. vers. 1. Lex dominatur homini quoad viuit, per hominis nomen vtrumque comprehendit sexum. Et Moy-*

ses

ſes cap. 1. Geneſeos verſ. 27. Hominem generali nomine vocat maſculum & fœminam, quos poſtea cap. 2. verſ. 24. vnam carnem vocat. His itaque præmiſſis, cum in theſi noſtra dicimus, animam cuilibet homini propriam ineſſe, intelligendum ita eſt, quòd quemadmodũ vir propriam, per creationem diuinam: habet animam ita mulier, per eandem creationem, propriam ſortita eſt animam, quod vtrumq; iam nobis paucis confirmandum eſt.

Locus primus.

Gen. 2. verſ. 7. Formauit Iehoua Deus hominem è puluere terræ, inſpirauitq; in faciem eius ſpiraculum vitæ, & fuit homo in animam viuentem.

3. Reg. 17. verſ. 22. Et exaudit Iehoua vocem Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri in interiora eius.

1. Cor. 2. verſ. 19. Quis enim nouit ea, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in eo.

Sap. 8. verſ. 19. Eram autem puer eximia ingenij indole præditus, bonamq; animam ſortitus, imò verò cum eſſem bonus in corpus introiui impollutum.

Ex his ſcripturæ locis talem conficio Syllogiſmum.

Si Deus

Primus Syllogismus. Maior. *Si Deus in corpus, ex puluere terræ formatum inspirauit animam rationalem, quæ corporibus in vtero formatis etiamnum coniungitur, quæq; in homine existens omnia hominis cognoscit, dijudicat, informat, est vtiq; in homine anima rationalis.*

Minor Conclusio. *Sed antecedens verum est,*
Verum igitur & Consequens.

Connexum hypotheticum sua fulget luce. Minorem probant scripturæ testimonia à nobis allata. Atq; inprimis locus ille Mosis euincit, animam rationalem in homine esse. Quanquam enim verbum Hebraicum נשמת *quo Moses vtitur & Chaldaicum* נשמתא *Nischmeta, quo vtitur Paraphrastes Chaldæus, nunc anhelitum, nunc spiritum, modò flatum & animam, & à quibusdam omnem spiritum ac respirationem significare putetur: euincit tamen commentator Hebræus Abenezra in Commentario cap. 7. Gen.* נשמה *Nischma ad hominem tantùm referri debere, & rationalem spiritum inprimis significare. Et hoc inprimis confirmat huius vocis etymon: descendit enim à* שמים *quod cœlum significat, vnde intelligimus animam hominis diuinum quiddam esse atq; cœlitus profectum. Idem confirmat Paraphrastes, qui pro eo, quod est in textu Hebraico, Et factus est in animam viuentem, posuit: Et factus est flatus ille in homine, in spiritum loquentem.*

Quem-

Quemadmodum enim sermo soli homini proprius est, indeq; maximè viuere cognoscitur, & eo maximè à brutis animantibus discernitur: ita significare voluit Chaldæus Paraphrastes, Mosen hoc loco de anima rationali, quæ propria est hominis loqui.

Accedunt ad minoris Confirmationem patrum quoq; clarissima testimonia.

Irenæus lib. 2. aduersus Valentin. cap. 26. ait: Quemadmodum vnusquisq; nostrum suum corpus per artem Dei sumit: ita & suam habet animam. Neq; enim sic pauper atq; indigens Deus, vt non vnicuiq; corpori propriam donaret animam, quemadmodum & proprium characterem. Et ideò adimpleto numero, quem ipse apud se constituit, omnes quicunq; sunt descripti in vitam, resurgent, sua corpora & suas habentes animas, & suos spiritus in quibus placent Deo. Quid autem & qualis ille sit animarum character, quem vnaquæq; hominis anima habet, aperit paulò pòst inquiens: Dominus plenissimè docuit, non solum perseuerare animas, neq; de corpore in corpus transgredientes, sed & characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodire Vbi quid Irenæus characterem vocet, Gallasius hunc in modum explicat: Propositum, inquit, fuit Irenæo ostendere, vnicuiq; homini propriam à Deo animam datam esse: ita vt etiam post mortem non

minus distingui animæ possint aliæ ab alijs, propriisq; & peculiaribus notis secerni solutæ à corporibus, quam cum ijs indutæ erant. Quod certè verum est. Nisi enim anima Iudæ discerneretur ab anima Petri, anima Lazari ab anima diuitis, non dignosceretur diuersa vtriusq; conditio. Hunc characterem eodem libro cap. 49. Irenæus figuram hominis vocat. Ex quo proptum est intelligere, in vnoquoq; homine propriam esse animam.

Locus secundus.

Iob. 35. vers. 10. Vbi est Deus factor meus qui dat cantica in nocte? qui docet nos præ iumentis, & præ volatili cœli sapientes effecit nos.

Iob. 18. vers. 3. Bildad hoc modo loquitur: Cùm reputamur vt iumentum sorduimus in oculis vestris.

Ex his locis sequentem conficio conclusionem pro confirmatione nostræ thesis.

Syllogismus secundus.

Si diuersa est hominum & brutorum conditio, si solus homo ea, quæ extra se sunt ratiocinatur, & iumentis longè sapientior factus est, si ea, quæ præsentia non sunt animo complectitur, & rationibus alias accumulat rationes, si excogitatis, quid optimum sit, deligere potest, præter eam animam, quam communem habet cum

cum brutis, habet & aliam rationalem sibi propriam.

Sed antecedens verum est.

Ea propter verum sit & consequens necesse est. Connexum hypotheticum firmum est ex collatione brutorum animalium & hominis, inter quæ maxima apparet diuersitas. Ideo enim bruta animantia irrationalia consueuimus appellare, quòd genus hominum rationale sit. Et in eo homo & bruta dissident, quòd irrationalia bruta sola quæ præsentia sunt, obtuentur, & ad ea sola, quæ in oculis sunt, incitantur: homo verò non ad visa tantùm proripitur, sed ratione, ea quæ oculis non apparent, dijudicat. Ex quo, quisquis veri studio tenetur, dijudicare potest, aliud esse mentem, ac plane diuersum quiddam existere à corporalibus sensibus. Et hoc prorsus est, quod ait Ecclesiasticus cap. 17. vers. 6. Creauit Dominus è terra hominem: omni animanti terrorem eius imposuit, vt bestijs ac volucribus dominaretur. Iudicium, linguam, oculos, aures & cor dedit eis ad cogitandum, sexto loco mentem donauit dispertiens, & septimo sermonem interpretem operum suorum. Scientia intelligendi instruxit eos, eisq; bona simul & mala demonstrauit. Hæc verba ita expressit Athanasius in Oratione contra idola: Illud, inquit, nõ vulgare inditium est, rationa-

lem esse animam humanam, quòd solus homo, ex, quæ extra se sunt, ratiocinetur & cogitet, & quæ præsentia non sunt, animo complectatur, & rursus rationibus alias rationes accumulet & iudicio, & cogitatione quod optimum sit, deligat. Hæc Athanasius: Ex quibus satis liquet, conclusionem nostram in media veritatis luce versari.

Tertius locus.

Psalm. 104. vers. 24. Quàm multiplicata sunt opera tua Iehóua: OMNIA IPSA IN SAPIENTIA FECISTI, impleta est terra possessionibus tuis.

Sap. 8. vers. 1. Attingit omnia (sapientia, quæ est Christus à fine ad finem ἐυρωστῶς, id est, potens & disponit omnia χρηστῶς vtiliter.

ἐυρώστως, id est, fortiter.

Ex his locis sequentem conficio conclusionem.

Tertius syllogismus hypotheticus.

Si Deus nihil temerè, nihil frustra operatur, sed omnia sapienter & potenter ad certum vsum & finem dirigit: Et si corpus humanum, quod sensibus nostris expositum est frustra aut temerè non condidit, neq; verò idipsum ob suam aliquam vtilitatem vel necessitatem, multò minus in gratiam angelorum, aut brutorum animantium fabricauit, sequitur ideo esse conditum vt rationis sedes & domus esset.

Atqui antecedens verum est.

Ea propter verum & consequens.

Connexum

Connexum hypotheticum explicatione & simul confirmatione indiget. Prima eius pars manifesta est ex consideratione perfectæ sapientiæ Dei. Quid enim sapienti magis conuenit, quàm vt nullum eius opus temerè aut inutiliter factum sit. Deus itaq; cum perfectissimè sit sapiens, corpus humanum nec temerè nec frustra condidit. Hinc illud: DEVS & natura nihil agunt frustra. Secunda pars connexi Hypothetici ex locis à nobis propositis satis est manifesta. Tertiæ partis, qua dicitur, corpus à Deo in vsum & necessitatem Dei non esse factum, veritas in promptu est, quia Deus nullius rei indiget, vnde Elsaddai omnipotens & sibipsi sufficiens in Scripturis vocari solet. Et quia nullius indiget, nullum vsum capit ex rebus à se creatis. Quarta pars connexi hypothetici in qua dicitur, corpus hominis non esse formatum ad vsum angelorum, patet, partim quia immortales illæ naturæ extra omnem indigentiam creatæ sunt, partim verò, quia corporum ministerium aut ope meræ incorporeæ substantiæ non indigent, aut vtuntur, nisi id fiat dispensatione diuina, cuius aliquot in scripturis habemus exempla.

Vltimam connexi hypothetici partem, quia dicitur: Neq; ad vsum brutorum corpora hominum esse creata expressis verbis probat Moses, qui totum hominem Dominum & Imperatorem bru-

torum ac totius mundi inducit, cum ait: Gene. 1. verſ. 26. Dixit Dominus faciamus hominem ad imaginem noſtram, qui dominetur piſcibus maris ac volatilibus cœli, atq; iumentis, & toti terræ, omniq; reptili reptanti ſuper terram. Fas itaque non eſt neq; vnquam fuit, imperatricem & dominatricem creaturam deijcere ad vſum inferiorum. Imò contrà omnia bruta & ſingula, ſui vſum hominibus ad quem nata ſunt, de ſe præbent. Ex quibus collectis in vnum, concluſionem noſtram firmam eſſe videmus, quòd nimirum Deus reſpectu primariæ & præſtantiſſimæ rationis, quæ in homine tanquam rex dominatur, corpus humanum creauerit, per ſe ipſum ſuamq; bonitatem. Principium enim omnis creaturæ Dei bonitas eſt.

Si quis autem plura pro confirmanda theſi noſtra cupit argumenta, ſciat hic & id ipſum me vel ex prophanis autoribus præſtare poſſe. Ariſtoteles etenim lib. 1. Eth. cap. 7. item problemat. Sect. 22. quæſt. 11. eſſe hominem factum participem rationalis animæ, vnde animal vocetur pluribus probat, quod & Macrob. lib. 1. de Somn. Scip. cap. 14. & AElianus in prologo hiſtoriarum facit. Sed quid opus eſt prolixius confirmare, quod niſi inſani negarent. Procedamus itaque ad alteram quæſtionis noſtræ partem excutiendam, in qua quæritur, &c.

Matth.

Matth. 9. vers. 22. Dicit Christus mulieri, sanguinis profluuio laboranti: Confide filia, fides tua te seruauit. Matth. 9. v. 13. Luc. 8. v. 48.

Matth. 15. vers. 28. O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut tu vis.

Actor. 17. vers. 4. Quidam ex eis crediderunt, & consociati sunt Paulo religiosorum Græcorum magna multitudo, mulieresq; primariæ non paucæ.

Act. 16. vers. 14. Quædam mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat, Deum colens, nos audiuit, cuius Dominus aperuit cor, vt attenderet ijs, quæ dicebantur à Paulo.

Ex his scripturæ locis hanc conficio conclusionem.

Si mulieres æquè ac viri fide præditæ sunt, quæ vnà hæredes sunt gratiæ Dei & vitæ æternæ: æquè etiam animam habent ac viri. Sed mulieres æquè ac viri fide præditæ sunt, quæ vnà hæredes sunt gratiæ, & vitæ æternæ. Syllogismus secundus.

Ea propter mulieres æquè ac viri animam rationalem habent.

Connexi hypothetici consequentia euidens est & plana, tum quia fide nemo præditus esse potest, qui verbum non audiat, aut intelligat, intellectumq; dijudicet; tum quia vitæ æternæ hæres esse non potest, qui suum esse in morte Rom. 10. v.

corporis amisit, & futuræ resurrectionis filius non sit.

Assumptum firmissimum est, propter locos à nobis productos. Sequitur ergo, & totum connexum firmum esse atq; verum.

Locus 3.

Matth. 22. vers. 30. Sadducæi dicunt Christo, de muliere septem fratrum vxore: In resurrectione cuius è septem erit vxor? Respondet Iesus, Erratis: in resurrectione enim neq; vxores ducunt, neq; nuptum dantur: sed sunt, vt Angeli Dei in cœlo. Matth. 9. vers. 25. Mar. 5. ver. 41. 44. Lucæ 8. vers. 54. 55. Christus Iairi principis filiam annorum 12., suscitare volens ait: Puella surge. Subijcit Euangelista: Tunc reuersus est spiritus eius, & surrexit illicò.

Ex his talem conficio Syllogismum.

Si mulieres æquè ac viri resurgent, & similis erunt Angelis Dei in vita æterna: sequitur, mulieres animas habere, Sed verum est antecedens: Verum igitur est consequens.

Scripturæ testimonijs probatur Mulieres habere animam.

Proferam nunc aliquot scripturæ & Patrum testimonia, thesin nostram confirmantia.

Gen. 35. vers. 16. 17. 18. Et parturiebat Rachel, difficultatemq; passa est: cumq; difficultatem pateretur in periculo dixit ei obstetrix: ne timeas, quia etiam iste tibi filius. Fuit autem

egre-

egrediente anima eius, nam mortua est, vocauit nomen eius Benoni.

Numer. 30. ver. 5. Mulier cum vouerit votum Iehouæ, & audierit pater eius votum ipsius, & obligationem, qua astrinxit animam suam, & tacuerit illi Pater eius: tunc firma erunt omnia vota illius, omnisq; obligatio, qua obligauit ANIMAM *suam. Sic in sequenti v. 6. 7. 8. 9. Anima pluribus vicibus mulieri tribuitur, v. 10. de vidua dicitur, Omne votum viduæ & repudiatæ, quo alligauit animam suam firmum erit: Vide vers. 12. 13. 14.*

Ruth. 1. ver. 18. de Rutha dicitur: Naomi videns, quod offirmato esset animo, vt pergeret secum &c. 1. Sam. 1. ver. 10. Annæ amarus animus tribuitur, postea vers. 15. ait eadem Anna ad Eli Sacerdotem: Mulier sum dura Spiritu, & effudi animam meam coram Iehoua.

Eccles. cap. 26. ver. 11. Mulier ebria, ac mente alienata, animam grauiter offendit.

Ibidem ver. 20. Vxor verecundæ gratia est duplici commendatione cumulata, nec tanti vllum est pondus, quod æstimatione ANIMAM *eius moderatam æquare posset.*

4. Reg. 4. vers. 27. Mulier illa diues, cui filium impetrauerat Eliseus à Domino, mortuo filio, concidit ad pedes Elisei: quam cum Elisei puer Giezi amoliri vellet; ait Eliseus: Sine eam, quia amara est eius ANIMA.

Luc. 1. vers. 46. Tunc ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit Spiritus meus super Deo seruatore meo. Simile est canticum Annæ in simili negocio gratias Deo agentis 1. Sam. 2. vers. 1. Exultauit cor meum in Iehoua &c. vbi cordis nomine animam intelligit rationalem, sedem (vt quidam putant) animæ pro anima vt mens.

Ex patribus probatur mulieres habere animam.

Hæc ex Scriptura satis: nunc adijciamus aliquot patrum veterum testimonia.

Augustinus lib. 1. de Anima cap. 8.

Augustinus lib. 1. de Anima & eius origine ad Renatum cap. 18. Etsi anima sexu caret, non tamen quando appellantur mulieres, excepta anima eas necesse est intelligi, Alioquin non ita se admonerentur ornare, non in tortis crinibus, aut auro aut argento: Sed quod decet inquit mulieres, promittentes pietatem per bonam conuersationem. Vtiq; pietas intus est in Anima vel Spiritu, & tamen mulieres appellatæ sunt, etiam vt se intus ornarent, vbi nullus est sexus.

Hieronymus super cap. 2. ad Titum.

Hieronymus in caput 2. ad Titum: Tametsi Apostolus Petrus præcepit, vt viri vxoribus suis tanquam infirmiori vasculo honorem tribuant, non tamen arbitrandum est, quòd vxor, quæ corporis vasculum habet infirmum, statim & ANIMA infirmior sit, &c.

Cyrillus li. 2. cont. Iulian.

Cyrillus lib. 3. contra Iulianum: Abstulit Deus quandam portiunculam Adami, & reliquam coadiu-

coadiuuans, protulit (mulierem) absolutam naturæ humanæ rationibus.

Idem lib. 2. in Iohanne cap. 87. probè & veraciter dici potest, fœmineam esse fœminarum omnium mentem. Mollis enim ac tardus est earum intellectus: docilior autem natura virorum, atq; calidior.

His præmissis vnicam iam obiectionem diluam, quam ἄϑεος quidam aliquando mihi obijciebat. Si (aiebat ille) mulier animam habet rationis participem: cur scriptura de ea tacuit, cùm præsertim expressè posuerit, in faciem viri animam insufflatam fuisse?

Possem retorquere quæstionem & dicere: cur tu tale dogma hæreticum foues, cum nullam tui dogmatis sacræ literæ faciant mentionem? Sed ea responsione omissa, affero eorum responsionem, qui dicunt, hoc ideò factum fuisse, vt eo ipso Deus testaretur, se omnes animas hominũ nascentium, sicut primam creare. Propterea enim scriptura in libro originum de anima mulieris tacuit, vt, quod in vna factum commemoratum est, etiam de cæteris intelligeretur. Vtiq; n. si aliud factum fuisset in fœmina, quàm in viro: Scriptura non tacuisset, ne hoc idem factũ putaremus, quòd iam de viro didiceramus. Proinde, quia nõ dixit Scriptura, ex anima viri animam mulieris esse desumptã, ne per traducem animas propagari crederemus:

nec

nec dixit, animam in faciem mulieris esse sufflatam, sed ex costa Adami desumptam: admonere vtiq; voluit, vt nihil de anima mulieris aliud putaremus, quàm quòd nouerамus factum in anima viri: hoc est, similiter à Deo datam esse mulieri, quemadmodum & viro. Atq; hoc modo finis impositus est huic Capiti.

CAPVT VIII.

DE ESSENTIA ANIMAE RATIONALIS

An complexio quædam tantùm & Crasis sit seu qualitas, an vero corpus aliquod vel saltem substantia spiritualis.

HAud abs re Philosophorum princeps Aristoteles statuit, lib. 1. de Anima, textu duodecimo, arduam perdifficilemq; esse scientiam de essentia animæ rationalis, adeò vt nisi in eius cognitionem ab obiectis ad operationes (hoc est à notioribus nobis ad ignotiora) ab operationibus verò ad potentias, à potentijs deniq; ad essentiam animæ rationalis progrediamur, vix, ac ne vix quidem à nostro, hoc est, humano ingenio, perfecta animæ cognitio comprehendi possit. Vnde motus

Lactan-

Lactantius in libro de Opificio Dei, negat, animæ rationem, & naturam homines assequi posse: quemadmodum & Baruchias quidam apud Reuclinum lib. 1. de verbo mirifico censet, homines perfectè, quid, & quomodo sit anima nostra, qua viuimus, spiramus, sentimus minimè posse cognoscere. Athanasius autem in Tractat. de Definit. tria ait esse, quæ secundum essentiam hominibus sunt incognita: Deum, Angelum, & Animam, quæ soli Deo secundùm essentiam cognita esse perhibet. Cui astipulatur Augustinus Tom. 4. lib. de essentia Diuinit. in fine, iuquiens: Animæ origo occulta est & soli Deo cognita. Vnde Galenus peritissimus medicinæ, ingenuè fatetur, animæ rationalis substantia quænam sit, & vnde profecta, se ignorare. Ego tria homini cognitu difficillima esse censeo: Deum in rebus spiritualibus, propter summam eius perfectionem, quæ ingenium hominis longè superat, Materiam primam in rebus naturalibus, propter summam eius imperfectionem, quam ingenium hominis capere vix potest. Et denique Animam humanam, propter occultam eius originem. Tria cognitu difficillima.

Quo minùs etiam miror numerosam illam veterum patrum multitudinem, qui vsque adeò nihil certi de origine animæ, ad Hieronymi ferè tempora habuerunt, vt quò tuto pedem figere potuissent, vix illis superfuerit. Hoc tum ex multis alijs,

cum

Hieronymus ad Marcellinum

cùm præcipuè ex diui Hieronymi epistola, ad Marcellinum & Anapsychiam missa, facilè deprehenditur, vbi inter alia hæc verba ponuntur : *Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ, imò maximæ Ecclesiasticæ quæstionis. Vtrum lapsa de cœlo sit, vt Pythagoras Philosophus, omnesq; Platonici, & Origenes putant : An à propria Dei substantia, vt Stoici, Manichæus, & Hispaniæ Priscilliani hæreses suspicantur : An in thesauro habeantur Dei, olim conditæ, vt quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt : An quotidiè à Deo fiant & mittantur in corpora, secundum illud, quod in Euangelio scriptum est : pater meus vsq; modo operatur, & ego operor : An certè ex traduce vt Tertullianus, Apollinarius, & maxima pars occidentalium autumat, vt quo modo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat.* Hæc Hieronymus : *Ex quibus nihil miror, quòd Augustinus Tom. 1. lib. 2. de ordine exclamans, in hunc modum scribat : Magnum bonum animæ cognitio, scire scilicet, vnde anima originem ducat, quidue hic agat, quantum distet à Deo, quid habeat proprium, quod alternat in vtranq; naturam, quatenus moriatur, & quatenus sit immortalis. Magni profectò est ordinis ista discere. Ex quibus omnibus animæ cognitionem non arduam modò & perdifficilem esse, sed apud multos incertam, infirmam*

De statu animæ variæ opiniones.

firmam atq; perexiguam. Cuius rei (ne plura afferam argumenta) euidentissimum testimoniū esse potest, quòd tot tamq; variæ, & inter se discrepantes, de animæ essentia quæstiones existunt: tot denique non solùm apud Philosopos, sed etiam Theologos, sententiarum labyrinthi circumferantur, ne quid de ea statuendum tutò sit, incertum planè esse videatur.

Variæ opiniones de Animæ essentia.

Epicurus mixtam de igni & aëre speciem dicit esse animam: Inde calor motus, & venti cæca potestas. Occipit, inde aër inde omnia mobilitantur, vt ille ait. Thales, & Hippon ex aqua essentiam animæ conficiunt, teste Aristotele Lib. 1. de Anima cap. 2.

Epicurus. Thales. Hyppon.

Xenophanes autem ex terra & aqua conflatam autumat, Parmenides ex terra & igni. Empedocles & Critias sanguinem esse ait, Anaximenes aërem. Anaximander, Anaxagoras & Archelaus aëreum quiddam. Hipparchus & Heraclitus ignem, vt & Phornutus in libro περὶ τῶν θεῶν φύσεως: in Ioue:

Xenophanes. Parmenides. Empedocles. Critias. Anaximenes. Anaximāder. Anaxagoras. Archelaus. Hipparchus. Heraclitus. Phornutus.

Critolaus & Peripatetici ferè omnes ex cœlo siue quinta nescio qua essentia constare dicunt.

Critolaus.

Stoici ventum seu spiritum arbitrantur, vt Plotinus lib. 7. Ennead. 4. cap. 4. refert: Alij aëre excellentius, vt Timæus apud Platonem in Timæo. Democritus spiritum mobilem, atomis insertum docet: Zeno concretum corpori spiritum.

Stoici. Democritus. Zeno.

Alexander

Alex. Aphr. Heraclitus. Heraclitus Ponticus. Hippocrates. Posidonius. Pythagoras. Philolaus. Xenocrates. Clearchus. Plato.

Alexander Aphrodiseus nobilissimam elementorum mixtionem. Heraclitus Physicus scintillam stellaris substantiæ. Heraclitus alter Ponticus, lucem. Hippocrates flatum tenuem per corpus omne diffusum. Posidonius ideam: Pythagoras & Philolaus harmoniam nescio quam. Xenocrates numerum seipsum mouentem. Clearchus harmoniam quatuor elementorum. Plato nunc essentiam sui motricem, nunc portiunculam de cœlestibus ignibus decerptam, siue de substantia Astrorum decisam, quo etiam nostros animos redituros putat. Ait enim, vnumquemq; qui ex hac vita piè discessit, ad astrum de quo est decerptus, assumi: Lucretius & Epicurus animam ex Atomis esse scribit, eamq; post mortem in easdem resolui. Aristoteles in libro de Anima, opinionem Empedoclis, Democriti, Alcmæonis, Platonis & Xenocratis refellens, animæ essentiam nouo nomine ἐντελέχειαν, hoc est, formæ perfectionem, vel continuum motum atq; agitationem glorioſe appellat, cuius sententiam de anima tanquam mortalem, refelli debere Gregorius Nazianzenus in libro contra Eunomianos monet. Cicero autem lib. 1. Tuscul. quæst. quintam quandam naturam esse, è qua sit mens. Aristotelem docuisse author est. Vtut sit, longa certè de hac ἐντελεχείᾳ, & fortè etiam inutilis præbuit disputationis occasionem, vt videre est apud Ciceronem, Plutarchum,

Lucretius. Epicurus. Aristoteles.

Nazianzen. Cicero.

chum, Budæum, Ludouicum Viuem, quam disputationem agitat quoq; Præceptor noster, totis animis, toto vitæ nostræ tempore obseruandus, Philippus Melanchthon lib. 1. de Anima, & Themistius in paraphrasi lib. 3. physic. Aristotelis.

Nec desunt, qui simpliciter negent, animam esse substantiam per se subsistentem, cùm contrà nihil aliud esse dicant, quàm vitalem vim in homine, quæ mera sit qualitas, aut vt alij vocant, complexio siue crasis, vel aliud aliquod accidens.

Alij deniq; aliud esse dicunt, vt videre est apud Theodoretum lib. 5. contra Insid. Aristotelem lib. 1. de Anima cap. 2. Ciceronem lib. 4. Acad. quæst: Gregorium Nissenum lib. 2. de Philosophia cap. 1.

Origenes teste Hieronymo & Augustino, animas ex aëreo corpore essentiam habere dixit. Hieron. ad pammach. Aug. lib. 2. de orig Animæ cap. 5.

Tertullianus Augustino teste, animas corporeas esse docuit, & cum corporibus simul exoriri, quemadmodum & Marcionem hæreticum atq; Manichæum hanc sententiam defendisse tradit Athanasius, in libro de salutari aduentu Christi. Tertullianus verò author est, in lib. de Anima, cap. de Simp. Animæ, Hermogenem quendam docuisse, animam non ex Dei flatu, sed ex materia terrestri creatam esse. Nunc antequam hasce omnes opiniones aliquis refutet, vitam interea (etiamsi eam centum annos perduceret) Aug. lib. 10. de Gen. ad liter. cap 25. Idem epist. 157. Optato. Vide Tertull. in lib. de Anima vbi sic definit animã. Definimus animam Dei flatu natam immortalem, corporalem,

effigiatam, substantia simplicem. Alio capite tribuit animæ longitudinem latitudinem sublimitatem, effigiem, sexum, habitum, terminum, vti corpori, quia non sit vbiq; diffusa, vt Deus, sed certo loco vbi sit comprehensa.

deficere necesse est. Neq; arbitror, in his sordibus diutius esse immorandum : sed potius quæ vera & Orthodoxa sit de essentia animæ sententia, paucis expediendum est. Sit itaq; huius capitis Thesis.

Dico animam rationalem quæ est in homine, non esse tantummodò vitalem in homine vim, aut crasin quandam, seu qualitatem corporis : neque esse ex his vsitatis notisq; naturis, terra, aqua, aëre, & igni, siue omnibus siue quibusdam, coniunctis : neq; ex alio aliquo corpore, quod sit compositum : sed simplex animæ natura cùm sit, spiritus alis est, & per sese subsistens essentia.

Thesis primùm explicanda, deinde confirmanda est.

Duplex est eius membrum : Negatiuum vnum, Affirmatiuum alterum. Negatiuum duabus consistit reiectionibus. Vna est : Animam rationalem non esse crasin tantùm vel qualitatem, per se non subsistentem. Altera : Neq; esse aliquod ex notis quatuor naturis corpus, aëre, aqua, igni, terra. Affirmatiua pars simplex est : Animam rationalem esse essentiam Spiritualem, per se existentem. Quamobrem vt hoc caput absolui consummatiùs possit, duas negatiuas priùs, vltimò Affirmatiuam confirmare, necesse est.

Thesis prioris negatiuæ.

Dico animam rationalem non esse tantummodo vi-

do vitalem in homine vim, aut crasin, vel qualitatem, accidens ue aliquod: sed substantiam, reuera in suo esse existentem.

Locus primus.

Luc. 16. vers. 22. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: Mortuus est verò & diues ille, & apud inferos sublatis oculis suis, quum esset in cruciatibus, vidit Abraham eminus, & Lazarum in sinu eius: Tum clamans dixit: pater Abraham, &c. Respondens Abraham, Nunc hic solatio fruitur, tu verò cruciaris.

Apoc. 6. vers. 9. Vidi sub altari τὰς ψυχὰς animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei. Clamabant autem voce magna, dicentes: vsq; quò Domine, qui sanctus es & verax, non iudicas ac vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra. Tum datæ sunt singulis stolæ albæ, & dictum est eis, vt requiescerent adhuc paululum temporis, vsquequò compleantur etiam conserui eorum, & fratres eorum, qui trucidati sunt, sicut ipsi.

Ex his sequentem conficio ἀπόδειξιν hoc modo.

Quicquid post dissolutionẽ corporis reapse et verè existit, suas habet operationes, mutuam cognitionem habet, in æterna requie quiescere, potest, con- Maior.

ſummationem Regni gloriæ deſiderare, clamare voce magna, ſtolis albis veſtiri, patienter ad Dei verbum expectare, eum iugis laudibus concelebrare: non eſt duntaxat qualitas ſeu craſis, accidens ue euanidum, ſed eſſentia ſubſiſtens.

Minor. *Atqui animæ etiam poſt diſſolutionem corporum, reipſa & verè exiſtunt, ſuas habent operationes, ſeſe mutuò cognoſcunt, in æterna requie bonæ quieſcunt, malæ in gehenna torquentur, conſummationem regni gloriæ deſiderant, clamant voce magna, ſtolis albis veſtiuntur, patienter expectant, Deum iugis laudibus celebrant.*

Concluſio. *Quare animæ rationales non ſunt duntaxat craſes ſiue qualitates & accidentia euanida: ſed eſſentiæ per ſe verè ſubſiſtentes.*

Hæc ἀπόδειξις neceſſaria eſt & euidens, vtq; nitatur ſuperiorum locorum firmamentis. Ea etenim omnia quæ Lucas & Iohannes animab. tribuunt, non qualitatibus ſed eſſentijs ſubſiſtentibus competunt. Narrat Iohannes Apoc. 5. verſ. 9. Animas ſanctorum, quæ habebant in manibus Citharas, & phialas aureas, plenas ſuffituum (quas dicit eſſe orationes ſanctorum, hoc eſt, Canticum nouum ſiue gratiarum actionem, quæ eſt pars tantùm orationis) ceciniſſe agno hymnum, & gratias illi egiſſe, eumq; concelebrauiſſe: quæ nemo ſanus dicet Craſi & qualitati duntaxat euanidæ competere. Præterea quis mutuam cogni-

tionem

tionem accidentib.& qualitatibus instabilibus attribuit vnquam? Hîc verò manifestè exprimitur, animas in cœlo constitutas mutuam habere cognitionem. Audis namq;, quòd diues & Lazarum, quem antea nouerat, & Abrahamum quem nunquam antea viderat, distinctè cognoscit, quod certè qualitati minimè competit. Adde, quòd cùm Christus in monte Thabor transfiguratus fuisset, Etiam & Mosen, quos discipuli nunquam viderant, cognoscunt, licet adhuc in hac vita constituti: quo ipso certè significare voluit scriptura, animas mutuam inter se cognitionem habere. Quod ipsum etiam ille Adami & Euæ typus optimè expressit: Euam enim, quam antea nunquam viderat Adam, sibi allatam agnoscit ex tempore: vt vel hoc facto Deus prædoceret, qualis futura esset nostra in cœlis conditio, vbi rursus ad Adami primum illum statum, & longè perfectius quàm ipse fuerat reparabimur. Et hoc illud est, quod ait Paulus 1. Cor. 13. vers. 9. & 12. Nunc ex parte cognoscimus: Postquam autem aduenerit quod perfectum est, & quod ex parte est abolebitur, cognoscam prout edoctus fuero. Quomodo autem futurum sit, vt edoceamur invita illa, addit ibidē: Cernimus inquit nunc per speculum & per ænigma, tunc verò coràm cernemus. Quibus verbis cognitionem perfectam subindicat Paulus: quod & ipsa similitudo, qua vtitur, aliquomodo exprimit.

Animas in vita beata mutuam habere cognitionem probatur.

Marc. 9. v. 4.

mit. Speculo enim quo nunc vtimur, & in quo faciem nostram intuemur, vel vt ait Iacobus cap. 1. vers. 23. faciem nostram natiuam consideramus, longè clarius esse, ait Paulus, Speculum faciei siue maiestatis diuinæ, ex quo omnia certiùs & euidentiùs cognoscemus. Atqui cùm tria obscurè contemplatio speculi nostri nobis exhibeat, visum speculi, visum natiuæ faciei, & visum eorum omnium, quæ circa nos existunt, vt vestium & indumentorum: colligimus, hæc eadem perfectissimè nobis cognosci ex contemplatione speculi diuini siue maiestatis æternæ. Primùm enim speculum ipsum, hoc est, Deum perfectissimè videbimus atq; cognoscemus, quod Paulus hîc, & Iohannes Epistola 1. cap. 3. vers. 2. contestatur. Deinde nostram faciem, hoc est, nos ipsos totos perfectissimè (quod nunc proh dolor rarum est) cognoscemus. Vltimò ea omnia bona, dona & gaudia perfectissimè videbimus atq; cognoscemus, quæcunq; circa nos erunt: ex quibus præcipuum hoc est, vt mutuam inter nos omnes cognitionem eamq; perfectam habeamus. Quod Lucas in testimonio à nobis producto innuit: Et sapiens Sap. 7. vers. 26. testatur, vbi æternam illam sapientiam vocat lucis æternæ splendorem, atq; speculum virtutis Dei, nulla macula aspersum. Quare ex his constat, nostram hanc ἀπόδειξιν in media veritatis luce versari, & nostræ Theseos veritatem extra omnem dubitationem constituere.

Ad-

Adjiciam & Patrum aliquot testimonia.

Gregorius Nissenus Disput: de Anima: cum sorore Macrina: Anima, inquit, est essentia facta, per se viuens, intellectualis, corporeis instrumentis sensum viuendi, atq; percipiendi ea quæ cadunt sub sensus, facultatem ac vim per se suggerens ac immittens.

Animam non esse crasin siue qualitatem euanidam probata ex Patribus.

Augustinus Tom. 4. libro de Incarnatione verbi: Anima, inquit, propriam substantiam vitamq; propriam habet.

Augustinus Tom. 4. de incarnat. verbi.

Idem lib. 2. de Genesi contra Manichæos: Spiritus autem hominis in scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis, per se existens, qua distat à pecoribus, & eis naturæ lege dominatur. De quo dicit Apostolus: Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui EST in ipso.

Hæc tantum de primo membro partis negatiuæ. Alterum persequamur, cui adiungo partem affirmatiuam.

Thesis.

Dico Animam rationalem non esse ex notis illis quatuor naturis, terra, aqua, aëre aut igne: neq; ex quinta quadam essentia, neq; ex vlla materia corporea: ac proinde neq; esse vllo modo corpoream, sed Spiritualem substantiam simplicissimam.

Loci Scripturæ:

Animam non esse corpus probatur ex scripturasacra.

Psal. 31. vers. 6. In manus tuas commendo Spiritum meum. Hunc locum Lucas in passione Christi integrum à Christo prolatum fuisse docet, cap. 23. vers. 26. Pater in manus tuas depono Spiritum meum, quod Iohannes cap. 19. cap. 30. inclinato capite tradidit Spiritum: Matthæus hoc modo cap. 27. vers. 50. cum clamasset voce magna, emisit spiritum.

Iob 12. vers. 10. In cuius (Dei) manu est anima omnis viuentis, & Spiritus omnis carnis hominis.

Eccles. 12. vers. 7. Et spiritus reuertatur ad Deum qui dedit eum.

Thob. 3. vers. 6. Iube (Domine) in pace eximi spiritum meum, vt moriar, et in terram redigar.

Esa. 2. vers. 22. Desinite ab homine, timere, cuius spiritus in naribus eius est.

Esa. 42. vers. 5. Sic dicit Iehoua, expandens terram, dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum ambulantibus per eam.

Zach. 12. vers. 1. dicit Iehoua, qui extendit cœlum, & fundauit terram, finxit q3 spiritum hominis in medio eius.

Luc. 8. vers. 55. Reuersus est spiritus puellæ & surrexit illico. Act. 7. vers. 60. Ait Stephanus: Domine Iesu, suscipe spiritum meum.

1. Cor. 2. vers. 11. Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo? Hebr. 4. vers. 12. Sermo Dei pertingens vsque ad diuisiones animæ simul ac spiritus. 1. Pet. 3. vers. 19. Christus spiritibus qui erant in carcere, prædicauit, id est, animis corpore exutis.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si sacræ literæ animas rationales, Spirituales esse essentias diserte docent: neq; ex terra, neque aqua, neq; aëre, neq; igne, nullo denique corpore essentiam compactam habent. Primus Syllogismus.

Sed expresse atq; diserte docent sacræ literæ, animas rationales Spirituales esse essentias. Ea propter animæ non sunt corpora, nec ex corporibus factæ essentiæ.

Connexum huius syllogismi sua luce lucet. Minor indissolubilis est, propter expressos scripturæ locos: quibus consentiunt Patrum veterum testimonia.

Augustinus de spiritu & Anima cap. 8. Spiritus est ipsa anima, pro spirituali natura, vel pro eo, quod spiret in corpore, appellatus est Spiritus. Anima & spiritus idem sunt in homine, quamuis aliud notet spiritus & aliud Anima. Spiritus namq; ad substantiam dicitur, & anima ad viuifi- Ex Patribus probatur animam non esse corpus.

cationem: eadem est essentia, sed proprietas diuersa. Nam vnus & idem spiritus ad seipsum dicitur spiritus, & ad corpus anima. Spiritus est, in quantum est ratione prædita substantia rationalis, anima, in quantum est vita corporis.

Idem lib. 7. de Genesi ad literam cap. 21. Quid sit anima, non dicitur melius, quàm anima vel spiritus vitæ: Ideo enim additur vitæ, quia & iste aër plerumq; dicitur spiritus.

Idem Tom. 9. Tractat. 26. in Iohan. Homo es, & spiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico, quæ anima vocatur, quia constat, quod homo es. Constas enim ex anima & corpore, habes ergo spiritum inuisibilem & corpus visibile.

Idem lib. 2. de Gen. contra Man: Spiritus hominis in Scriptura dicitur ipsius animæ potentia rationalis, qua distamus à brutis.

Idem Tract. 23. in Ioh. His firmissimè constitutis, animam rationalem non beatificari, nisi à Deo, corpus non vegetari nisi per animam, atq; esse quandam medietatem inter Deum & corpus, animam, intendite & recolite mecum.

Athanasius de salut. aduent. Christi.

Athanasius de salutari aduentu Christi: Vnde hanc sententiam de carnali anima acceperitis, conscius non sum, cùm neq; in sacris literis id inueniatur, neq; in communi hominum sensu. Cur enim potiùs animas apud inferos detentas,

spiritus

spiritus nominauit, cum inquit: profectus est, vt spiritibus in carcere detentis læta de resurrectione annunciaret.

Cusanus lib. 8. Exercitationum: super illa verba: Dominabuntur populis &c. Cusanus lib. 8. exercitat.

Considera benè, animam humanam ex quatuor suis elementis compactam: Anima enim spiritualis est, elementa eius spiritualia sunt. Nam experimur, animam humanam, vim quandam esse spiritualem, ex se quadruplicem motum exercentem, scilicet concupiscibilem, irascibilem, rationalem, & liberum seu voluntarium.

Locus secundus.

Gen. 1. vers. 20. Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram.

Gen. 5. vers. 1. Iste est liber generationum Adam: die quo creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.

Gen. 9. vers. 6. Qui effuderit sanguinem hominis, in homine sanguis eius effundetur, quia ad imaginem Dei fecit hominem.

Sap. 2. vers. 23. Quoniam Deus creauit hominem ad immortalitatem, eumq; ad imaginem propriæ similitudinis fecit.

Vide loca Colos. 3. vers. 10. 1. Cor. 11. vers. 7.

Ex his

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Secundus syllogismus.

Si Deus ad imaginem & similitudinem suam creauit hominem: non est anima hominis corporea, sed spiritualis essentia.

Sed hominem Deus ad imaginem & similitudinem suam creauit.

Quare anima humana non est corporea sed substantia spiritualis.

Connexi hypothetici ratio euidens hinc pendet, quòd (vt supra ex Paulo docuimus) tota similitudo Dei, ad quam homo conditus est, sedem propriam in anima rationali habet, quæ Archetypon illud, vt in multis alijs, ita quoq; in essentia incorporea præ se fert: * *Ideò sapientes viri ostendere volentes, quomodo anima sit creata ad similitudinem Dei: aiunt, aperta Trinitatis & vnitatis vestigia in Anima rationali impressa esse.*

Sic docet Philo. *(Vide infra 133. pag.

Quod ita declarant Hebræi, teste Galatino, Lib. 2. cap 8. Vt anima replet corpus: sic Deus sanctus & benedictus replet mundum suum Vt anima regit corpus: sic Deus sanctus & benedictus regit mundum. Vt anima est vna in corpore: sic Deus sanctus & benedictus vnus est in mundo suo. Vt anima non manducat neq; bibit: sic Deus sanctus & benedictus nec manducat nec bibit. Vt anima

In Anima Trinitatis imaginem conspici. Galatin lib. 2. cap. 8.

ma habitat in corporis superiori parte; Sic Deus sanctus & benedictus habitat in superiore mundo. Vt anima videt & NON VIDETVR: Sic Deus sanctus & benedictus videt & non videtur. Sic Hebræi.

Augustinus paulò aliter explicat libr: de Spiritu & Anima cap. 35. Quandam, inquit, habet anima imaginem sanctæ Trinitatis, quæ est in Patre Filio & Spiritu sancto. Primò in eo, quod sicut Deus viuit & sapit: sic anima secundum suum modum viuit & sapit. Est quoq; & alia Trinitas in ea, Licet enim vnius sit anima naturæ: tres tamen in se vires habet, intellectum, voluntatem & memoriam: Nam sicut ex patre generatur filius, & ex Patre & Filio procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his duobus procedit memoria. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tamen tres Dij, sed vnus Deus & tres personæ: ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in vno corpore, sed anima vna & tres vires. Atq; in his tribus diuinam imaginem gerit mirabiliter in sua natura noster homo interior. August. lib. de Spiritu & Anima.

Simili fere ratione Galatinus lib. 2. cap. 8. similitudinem animæ cum Deo declarat. Ait enim. Quemadmodum in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ita in anima tres sunt, potentiæ, memoria, intelligentia & voluntas. Galatinus lib. 2. cap. 8.

Nam

Nam in memoria quidem imago patris relucet, quia memoria fœcunda cum actu dicendi producit verbum.

In intelligentia verò imago exprimitur Filij, quia filius per modũ intellectus et naturæ gignitur

In voluntate autem imago Spiritus sancti insinuatur, quia Spiritus sanctus per modum voluntatis à patre & Filio, tanquam ab vno principio & vno spiratore procedit. Quare Spiritus sanctus non est nisi amor, quo Pater & Filius se mutuò amant. Et sicut filius gignitur à patre, & Spiritus sanctus ab vtroq; procedit: sic intelligentia oritur à memoria, intelligentiam pro potentia & actu accipiendo: & voluntas ab vtroq;, hoc est, à memoria & intelligentia originem habet, voluntatem tam pro ipsa potentia quàm pro actu summendo. Et sicut pater Filius & Spiritus sanctus non sunt tres Dij, sed vnus Deus: ita memoria, intelligentia, & voluntas, non sunt tres animæ, sed vna solùm anima, cùm non sit nisi vna eius substantia, vt Galatinus.

Zancheus Tom. 2. lib. 1. cap. 3.

Alij eodem ferè modo, mutatis tantùm animæ potentijs, similitudinem trinitatis in anima declarant. Vt enim anima cuiusuis hominis, vna tantum est οὐσία & numero, vt etiam Aristoteles docuit: suis verò essentialibus δυνάμεσι, multa est, nempe intelligendi, sentiendi & vegetandi facultate, quæ facultates τῷ εἶναι quidem seu realiter

inter

inter se distinguntur, sed minimè disiunguntur: ab οὐσία verò animæ, τῷ λόγῳ tantũ seu ratione, non realiter differunt: ita Deus essentia quidẽ seu οὐσία vnus est, personæ autem in vna essentia sunt tres, quæ realiter quidem inter se distinguuntur, sed ab essentia vna realiter non differunt.

Obiectiones dissoluuntur.

Nunc duo Argumenta diluenda sunt:

I. Si anima non est vbiq; diffusa, vt Deus, sed certo loco concluſa, & terminis suis circumdata: anima corporea est. Sed anima non est vbiq; diffusa, verùm certis corporis terminis circumscripta: Ergo anima corporea est.

Responsio.

R. per distinctionem: Triplex est modus essendi in loco, Repletiuus, definitiuus et Circumscriptiuus.

Quomodo res dicuntur esse in loco.

Repletiuè dicitur aliquid in loco esse, cuius natura omnia replet loca, neq; loco comprehendi potest. Talis est Deus, qui de se apud Prophetam ait: Annon cœlum & terram ego repleo? Circumscriptiuè dicuntur esse in loco, quæ ita secundum dimensionis species, longi, lati & profundi commensurantur, vt locus in quo sunt, maior sit semper ipsis locatis. Talia sunt omnia corpora vera.

Definitiuè dicuntur esse in loco, quib. etsi nullum certum & circumscriptum locum assignare possumus: tamen proprietate naturæ ita definiuntur, vt vbiq; esse eodem tempore non possint. Tales sunt omnes spiritus creati, Angeli, Dæmones & Animæ. Anima ergo definita est: verùm non dimensionibus, sed naturæ proprietate. Se-

Secunda obiectio. Gen. 6. vers 3. sic legimus: Non disceptabit Spiritus meus propter istos homines in seculum: eò quòd etiam ipsi caro sunt. Ex hoc loco sic obijciunt. Si totus homo caro est, anima quoq; corporea est. Sed totus homo caro est: Ergo anima quoq; caro est, valet à toto ad partem.

Respondeo. Hoc Argumentum Luciferianorum fuit, qui cum Homonymia vocis Caro frequenter fallerent imperitos, Homonymiani sunt appellati: Paralogismus est ergo, à qualitate ad rei substantiam: Non enim ideo totus homo vocatur caro, quòd tota eius substantia carnalis esset, Sed quòd omnes animæ & corporis qualitates essent carnales, id est, omnes vitiosæ, corruptæ & carni duntaxat seruientes. Sicut enim propter corpus, cùm animæ & spiritui seruit, Spirituale meritò vocatur, vt est apud Paulum 1. Corint. 15. vers. 44. Ita anima & spiritus, cùm seruit carni, meritò caro dici potest.

Si itaq; anima ad viuum expressa Archetypi imago est, Deumq; egregiè refert & repræsentat: Consequitur necessariò, vt ab omni corporea mole & materia sit remota.

Cusanus Tom. 1. de Berylo cap. 6. ita Dei similitudinem explicat: Aduerte, inquit, Hermetem Trismegistum dicere, hominem esse secundum Deum: Nam sicuti Deus est creator omnium entium realium

realium & naturalium formarum, ita homo rationalium entium, & formarum artificialium, quæ non nisi intellectus eius similitudines sunt sicut creatura Dei, diuini intellectus similitudines. Ideò homo habet intellectum, qui est similitudo diuini intellectus in creando.

Locus tertius.

Gen. 2. vers. 7. Inspirauit Deus in faciem hominis spiraculum vitæ.

Ex hoc Scripturæ loco talem conficio conclusionem.

Syllogismus tertius.

Si Deus animam hominis neq; ex terra, vt corpus, neq; ex aqua, neq; ex aere, neq; igne, neq; cœlesti & stellari scintilla decerpsit, sed suo ipse flatu, tunc ex nihilo creatam, homini infudit: non est essentia animæ corporea, sed spiritualis.

Sed Antecedens verum est.

Verum itaq; & consequens vt sit, necesse est.

Connexum hypotheticum ex enumeratione omnium corporum, firmum est.

Minor tum expresso Mosis testimonio, tum deniq; subsequentibus nititur rationibus.

Prima pars assumpti vera est, quòd nimirum ex terra non sit substantia animæ, quia inde corpus duntaxat formatum esse narrat Moses.

Altera pars euidens est, quia nimis esset absurdum statuere, essentiam rationalis animæ inde esse

sumptam, vnde scriptura ait esse naturam piscium & volucrum: quæ vtiq; corporea est & visibilis, qualis non est anima.

Nec ex aëre, materia animæ sumpta est. Etsi enim Deus flauisse, (quod huic elemento competit) in faciem hominis dicatur animam; hunc tamen flatum non hominis, qualis elemento aëreo competit, sed Dei esse narrat Moses. Cùm verò Deus sit supra omne corpus mundi, & supra omnem spiritum, quem ipse creauit: non potest dici, Deum flauisse ex se in hominem aëreum flatũ.

Nec deniq; ex substantia ignis elementaris, essentia animæ sumpta est, quia iuxta Philosophos, corpus in aliud corpus mutari possibile est. Corpus autem siue cœleste siue terrenum, in animam conuerti nunquam potest, neq; hoc quisquam, aut sensit vnquam aut docuit.

Neq; ex his omnibus composita est anima: quia quod ex principijs componitur, ad sua principia olim resoluatur, necesse est. Atqui animam resolui posse, pernegant non sacræ modò literæ, sed & Philosophi saniores, vt suo loco videbimus. Quamobrem ex his totum connexum syllogisticum firmum atq; stabilem esse colligimus.

Accedunt huc clarissima veterum patrum testimonia.

Augustinus de Quantit. Animæ ca. 1.

Augustinus cap. 1. de Quantitate animæ: Substantiam animæ nominare non possum. Non enim

enim eam puto esse ex his vsitatis notisq; naturis, quas istis corporeis sensibus tangimus : Nam nec ex terra, nec ex aqua nec ex aëre, neq; ex igni, neque ex his omnibus aut aliquibus horum coniunctis, animam constare puto. Simplex animæ natura dici potest, quia ex illis naturis non est.

Hæc Augustini verba exprimens Cassiodorus ait, Anima hominis à Deo creata, spiritualis propriaq; substantia est. Quemadmodum enim cœlum quinta est essentia, diuersa ab elementorum natura : ita animæ essentia diuersa est ab essentia elementorum & cœlorum. Cassiodorus.

Augustinus Tom. 9. cap. 29. de cognitione veræ vitæ. Tum subtilis esse dicitur animæ natura, quòd se à corporeis oculis videri non patitur. Quantò enim aqua tenuior est terra, quantò aër subtilior est aqua, & quantò æthereus ignis aërem tenuitate & subtilitate vincit : tantò vincit anima ignem cœlestem tenuitate & subtilitate. Hæc enim est causa, quòd nullus spiritus nobis cernitur, quia subtilitas naturæ eorum, nostrum visum excedere creditur.

Colligit hîc Augustinus incorpoream animæ essentiam, ab eo, quòd quantò ignis vincit tenuitate reliqua elementa vocata, tantò animæ essentia ignem subtilitate vincat, Videamus nunc, quantò ignis reliqua elementa vocata superet

Arist. lib. 2. de Gen. & Corr. cap. 5.

tenuitate. Aristoteles statuit, decuplam esse proportionem inter elementa vocata. Aqua enim decuplo est maior, lucidior, tenuior: quàm terra, rursus aër decuplo maior, lucidior, tenuior: quàm aqua, denique ignis decuplo maior, lucidior, tenuior: quàm aër. Ad extremum cœli essentia decuplo maior, lucidior, tenuior, quàm ignis. Ex his ritè computatis, Ignis decuplo erit tenuior quàm aër, viginti vicibus tenuior, quàm aqua, triginta denique quàm terra. Cogita nunc quanta sit subtilitas animæ, quæ ignem decem, aërem viginti, aquam triginta, terram quadraginta, & corpus ex his compositum sexaginta superat vicibus.

Proportio elementorum decupla.

Idem Augustinus lib. 4. de Anima & eius Origine: prolixè ostendit, Animæ essentiam non esse corpoream. Inter reliqua hoc modo ait: Corpus est aër, corpus est lux ista visibilis, & omnia sicut dicit Apostolus, corpora cœlestia & corpora terrestria. Sed vtrum tale aliquid sit anima, scrupulosissimè & subtilissimè quæritur.

1. Cor. 15.

Idem lib. 7. de Genesi ad literam cap. 21. Nec illud audiendum est, quod quidam putarunt, quintam quandam essentiam esse, vnde sit anima, quod nec terra, nec aqua sit, nec aër nec ignis, siue iste turbulentior, atq; terrenus, siue ille cœlestis purus & lucidus: sed nescio quid aliud, quod careat vsitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim

enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod & nos; naturam quamlibet, longitudine, latitudine, altitudine spacium loci occupantem: neq; hoc est anima, nec facta inde credenda est. Quicquid enim tale est, vt multa non dicam, in quacunq; sui parte lineis diuidi & circumscribi potest, &c.

Idem ibidem: Vnde ergo sit ipsa anima, id est, de qua veluti materie Deus hanc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum del et occurrere. Sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit.

Eusebius lib. 1. de præparat. Euang, cap. 4. pluribus docet, animam non esse corpoream.

Eusebius lib. 1. de præpar. Euang. ca. 4.

Philo in libro, quod deterius potiori insidiari soleat: Quando primùm absoluta est cœli terræq; ac mediorum elementorum fabrica, conditor animalium fingebat hominem, & dicitur inspirasse in faciem eius spiritum vitæ, iam tum docente nos scriptura, spiritum esse animæ essentiam. * *Idem author eodem libro scribit: Illa anima, quæ à rationali fonte demanat, spiritus est, non aër motus, sed character quidam & effigies diuinæ potentiæ, quam nomine proprio Moses vocat imaginem: significans, quòd Archetypum rationalis naturæ, Deus est: homo verò imago seu effigies, non illud geminæ animal, sed quod est in anima præstantissimum, quod vocatur mens & ratio.*

Philo libro Quid Deter. potiri insidi &c.

Philo libro quod deterius potiori insidiari soleat.

Locus quartus.

Sap. 2. vers. 23. Creauit Deus hominem ad immortalitatem.

Matth. 10. Ne timeatis eos, qui corpus occidunt, & nihil præterea facere possunt.

Ex his locis sequentem Conficio Conclusionem.

Syllogismus quartus.

Si anima rationalis, immortalis, indissolubilis atq; incorruptibilis est: sequitur, eam non esse Corpoream & materialem.

Sed anima rationalis, indissolubilis atq; incorruptibilis est.

Quare anima rationalis non est Corporea & materialis.

Connexum hypotheticum manifestum est, propter contrariam corporis & immortalitatis rationem. Nam Immortale est, quod est indissolubile & incorruptibile. Omnis autem res corporea & materialis partibilis est: & eo ipso, quòd partibilis est, simul dissolubilis & corruptibilis existit. Assumptum fidem sibi facit ex locis scripturæ expressis. Quibus adiungam sequentia veterum patrum testimonia.

Augustinus cap. 19. de Spiritu & anima.

Augustinus De Spiritu & Anima cap. 19. Inuisibilis & incorporea est anima. Si enim visibilis esset, corporea esset: si corporea esset, partibilis esset et partes haberet, nec tota simul in vno loco esse posset.

posset. Nullum enim corpus aut simul tangi totum potest, aut simul tangere totum potest. Anima verò in quibuscunq; suis motibus, vel actibus, tota odores recolit, tota gustat &c. & cum tota vult, tota est voluntas: cùm tota cogitat, tota est cogitatio. Hieronymus in cap. 10. Matth. li. 1. *Si qui corpus occidunt, animam non possunt occidere: ergo anima inuisibilis & incorporalis est.*

Hieronymus in cap. 10. Matth.

Irenæus lib. 5. cap. 10. Quæ sunt mortalia corpora? Nunquid animæ? Sed incorruptibiles animæ, quantùm ad comparationem mortalium corporum. Inflauit enim in faciem hominis Deus flatum vitæ, & factus est in animam viuentem. Flatus autem vitæ incorporalis est.

Irenæus lib. 5. cap. 10.

Athanasius lib. de salutari aduentu Christi: Vnde hanc sententiam de carnali anima acceperitis, conscius non sum: Cùm neq; in sacris literis id inueniatur, neq; in communi hominum sensu. Domino præcipiente: Ne timeatis illos, qui corpus occidunt, cum animam occidere nequeunt. Atqui si carnalis est anima, cur non vnà cum corpore & moritur & perit?

Athanasius De salut. aduentu Christi.

Locus quintus.

Colos. 3. vers. 1. 2. Superna quærite, vbi Christus est, ad dexteram Dei sedens: Superna curate, non terrestria. 2. Cor. 1. vers. 17. Num quæ cogito, secundum carnem cogito?

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem. I 4 *Si ani-*

Si anima rationalis est inorganica: si per se, citra ministerium corporis actus reflexos habet: si à sensuum spiritibus tenuissimis, & ignea oculorum luce diuersam habet substantiam: si, cùm Deum, intelligentias, diuina & cœlestia, abstrusa quæq; intelligere vult, ab hac etiam oculorum & sensuum luce et spiritibus tenuissimis ita sese auertit, vt nedũ vllũ sensuum adiumentum quærat, etiã illud nonnullo sibi impedimento esse sentiens, sese ad obtutum propriè mentis attollat: sequitur, vtiq; non esse corpoream animam, sed longè diuersam ab omnibus sensuum spiritibus & lumine, naturam.

Sed Antecedens verum est.

Ea propter verum sit & consequens, necesse est.

Syllogismum hypotheticum explico, & omnes partes connexi confirmo.

Totum connexum hinc pendet, quòd anima, absq; omnibus organis, cùm seipsam intelligere, Deum, intelligentias & cœlestia contemplari vult, propria ἐνεργείᾳ & motu obtutuq; vtatur.

Etsi etenim in hac vita sæpenumerò illi sensus tum externi tum interni subseruiunt, obiecta nimirum offerendo: tamen non modo dum in hoc corpore est, actus reflexos habet, proprioq; obtutu simplicia apprehendit, componit, diuidit, tum singularia tum vniuersalia intelligendo, Deum, intelligentias & cœlestia atq; abstrusissima per se apprehen-

apprehendendo: sed etiam vbi ē corpore euocata est, suam habet ἐνέργειαν, suos motus. Quare nequaquam est consentaneum, animam corpoream esse, quæ citra omne ministerium corporeum per se incorporea intelligit.

Ac vt euidentius liqueat, quomodo anima per se intelligendo, sese à ministerio corporis organici auocet, altiùs rem expendamus.

Tradunt itaq; Physici, corpus humanum esse, quod terrena soliditate videmus præditum: interea tamen docent, duplicem esse in corpore spiritum, eumq; tenuissimū ex ætherea substantia natum. Vnum genus spiritum aduentitium vocant, alterum internum siue de alimento genitum. Aduentitius spiritus in homine, aër est in pulmone & corde, eiusq; capsula, vnde per venas, quas arterias vocant, diffunditur. Internus spiritus triplex est: Naturalis, animalis, & vitalis. Naturalis spiritus originem suam sumit in iecore, estq; ignis subtilissimi feruida quædam qualitas, ex tenuissima sanguinis parte, ceu exhalatio quædam enata, quæ per venam, quam medici cauam vocant, vnà cum suo vehiculo, sanguine in cor vehitur: vbi calidissima cordis virtute, primùm in priore cordis sinu siue cella concoctus defecatur: deinde in posteriorem sinum transmissus, ibiq; rursus vi cordis defecatus, in subtilissimam æthereamq; substantiam transit, & nomen accipit spi-

Spiritus duplex, Aduentitius, innatus.

Innatus spiritus triplex.

ritus Vitalis, qui per totum corpus per arterias diuisus, viuificum in Corpore humano generat Calorem, & hæc anima dicitur esse in sanguine, Leuit 17. versus 11. quæ neruos ambiens, motus Principium & originem præbet. Reliqua autem eius pars à Corde transmittitur in cerebrum, vbi rursus in cerebri cellulis, diligenter elaborata, & percocta, subtilissimam & plusquam ætheream euadit in naturam, vbi simul nomen accipit Spiritus animalis. Ab hoc tenuissimo & igneo spiritu, sentit Plato, radices emicare oculorum, & ab eius medio tanquam centro quodam, non solùm ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros tenuissimæ deducuntur fistulæ: vt ad aures, nares, palatum, ad audiendum, olfaciendum, gustandum, ipsumq; tangendi sensum.

Quorsum hæc tam prolixè? Nempe, vt his diligenter ex pensis intelligamus, tum quomodo anima citra sensuum spirituumq; horum administriculum, perse intelligat: tum præcipuè, quanta eius sit tenuitas, atq; subtilitas. Cùm enim anima his tenuissimis spiritibus & plusquam igneis, per sensus diffusis, quasi nuntijs percipiat, quicquid corporalium rerum percipit: Ipsa tamen vsq; adeo quiddam est aliud, vt, cum vult intelligere, vel se ipsam, vel Deum, intelligentias & res cœlestes abstrusissimas, ab hac ipsorum etiam spirituum tenuissimorum functione, & oculorum subtilissima

tilißima luce, ita ſeſe auertat, vt ad motus ſuos perficiendos nonnullo eam impedimento eſſe ſentiens, in obtutum mentis propriæ attollatur, & intelligibilia, ſine vlla functione ſpirituum apprehendat.

Ex his nunc duo cogita: vnum quòd hæc animæ rationalis ἐνέργεια & operatio, locupletißimum exhibeat teſtimonium, animæ eſſentiam longè diuerſam eſſe à natura ſpirituum tenuißimorum, & lucis oculorum, eamq; ab omnibus corporum generibus longè remotißimam eſſe.

Alterum eſt, quod ex his perpendes: Animæ nimirum ſubtilitatem, totum id, quod in corpore ſubtiliſſimum eſt, infinitis paraſangis vincere.

Valere etenim hoc loco, Ariſtotelicam proportionem exiſtimo, quam ſtatuit inter elementa, quorum decuplam eſſe proportionem, ſuprà oſtendimus. Nunc ſi conſideres corpus, ſanguinem, ſpiritus naturales, ſpiritus animales, ſpiritus vitales & animæ eſſentiam, & inter hæc decuplam ſtatuas proportionem: quanta (bone Deus) erit ſubtilitas animæ? Si enim decuplo ſanguis tenuitate ſuperat corpus, ſanguinem rurſus ſpiritus naturalis decuplo ſuperabit, corpus verò viginti vicibus: quemadmodum & ſpiritus animalis, naturalem decuplo, ſanguinem viginti, corpus triginta vicibus vincit: Et vitalis ſpiritus animalem decuplo, naturalem viginti vicibus, ſanguinem triginta, corpus quadraginta ſuperabit. Con-

Consequitur, essentiam Animæ subtilitatem spiritus vitalis decuplo, animalis vtginti, naturalis triginta, sanguinis quadraginta, corporis quinquaginta vicibus vincere: vt nulla iam dubitatio supersit, animam rationalem, neq; esse corpus, neq; ex rebus constare corporeis, sed substantiam esse spiritualem, propria entitate præditam.

Hæc ad connexi hypothetici explicationem sufficiant. Assumpti veritatem, loci à nobis producti extra omnem dubitationem collocant. Quare ex omnibus in vnum conuocatis, generalis huius capitis thesis palmam sibi erigit veritatis, nempe: Essentiam animæ rationalis neq; esse complexionem tantùm quandam aut κρᾶσιν, neq; corpus aliquod, vel ex corporeis rebus conflatam: sed potius spiritualem esse substantiam, propria entitate subsistentem.

Totum itaq; hoc caput illis Augustini verbis claudere placet, in quibus in vtramq; partem de hac re disputat Tom. 2. epist. 28. ad Hieron. fol. 98. circa finem.

Augustinus Tom. 2. epist. 28. ad Hiero.

Incorpoream (inquit) esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasuri. Sed ne verbi controuersiam vel superfluò faciam, vel meritò patiar, quoniam cum de re constat, non est opus certare de nomine.

Si corpus est omnis substantia vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur, id quod aliquo modo est

in

in seipso, corpus est anima. Item, si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quæ summè incommutabilis, & vbiq; tota est, Corpus est anima, quoniam tale quid ipsa non est. Porrò si corpus non est, nisi quod per loci spatium, aliqua longitudine, latitudine, altitudine, ita sistitur, & mouetur, vt maiore sua parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minusq; sit in parte, quàm in toto, non est corpus anima: per totum quippe corpus quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes eius particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, & in maioribus maior, sed alicubi intensiùs, alicubi remissiùs, & in omnia tota, & in singulis tota est. Neq; enim aliter quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguo puncto, in carne viua aliquid tangitur, quamuis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur: animam tamen totam non latet: neq; id, quòd sentitur per corporis cuncta discurrit, sed id tamen sentitur vbi sit. Vnde ergo ad totum mox peruenit, quod non in toto sit, nisi quia & ibi tota est, vbi sit, nec vt tota ibi sit, cætera deserit? Viuunt enim & illa. ea præsente, vbi nihil tale factum est. Quod si fieret, & vtrumq; simul fieret, simul vtrumq; totam pariter non lateret. Proinde & in omnibus simul & singulis particulis corporis sui,

sui, tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, vt videmus corpora diffusa per spacia locorum, minoribus suis partibus minora occupare, et ampliorib. ampliora. Quapropter si anima corpus esse dicenda est, non est certè corpus, quale terrenum est, nec quale humidum, aut aëreum aut æthereum. Omnia quippe talia, maiora sunt in maioribus locis, & minora in minoribus, & nihil eorum in aliqua sui parte totum adest, sed vt sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. Vnde intelligitur, animam siue corpus siue incorporea dicenda sit, propriam quandam habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore substantia creatam, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus, cogitari, sed mente intelligi, vitaq; sentiri.

Huc vsq; Augustinus.

CAPVT IX.

SI ANIMA RATIONALIS NEQVE EST qualitas tantum, neq; corpus, sed spiritualis substantia: anne igitur pars est diuinæ essentiæ?

Narrat

NArrat Moses in libro Originum cap. 2. v. 7. Deum formato ex puluere terræ homini sufflauisse in faciem spiraculum vitæ. Quæ verba Gnosticis occasionem præbuerunt, vt duas in homine animas constituerent, quarum alteram sanctam esse volunt, ex Dei substantia formatam: alteram aduentitiam, quæ homini ex Dei insufflatione insit, hanc solum patrem habiturum nugantur, illam Filium solum, vt Irenæus lib. 1. aduersus Valent. esse similes cap. 34. circa finem testatur. Hæc blasphemia fuit quoq; Manichæorum, teste Augustino lib. de duabus animis cap. 2. & Hieronymo in epist. ad Marcell. & Anapsychiam missa, qui cuiq; nostrum duas mentes & duas animas attribuerunt, quæ (vt August. lib. 6. contra Faustum cap. 8. docet) cum sint contrariæ, vnam cum altera perpetuò pugnare necesse est. Et quia duo principia, duosq; Deos sibi mutuò contrarios esse dicebant, bonum & malum: ideò boni essentiam frustratim in omnes animas bonas, mali in malas fusam statuebant. Imò vlterius progressi, Dei membra in omnibus brutis & creaturis diuisa prædicantes, animam bouis & hominis eandem esse dicebant: quia vtraq; Dei pars sit & substantia, vt August. contra Adimantium cap. 22. & lib. 3. cap. 6. contra Faustum Manichæum tradit.

Vide August. in hæresicologia. Item lib. 10. de Gen. ad lit: cap. 14.

Euseb. lib. 5. cap. 27.

Hos

Hos secuti sunt Priscillianistæ, teste Hieronimo in epistola ad Marcellinum, & August. in Hæreseolog. qui Animas hominum omnes eiusdem esse, atq; Deum ipsum, substantiæ nugabantur. Quorum omnium hæresium origo à philosophis, hæreticorum Patriarchis emanauit. Plato siquidem in Timæo, animas particulas & conuulsiones Dei vocitat, quem Stoici ferè omnes secuti sunt, teste Reuclino lib. 1. de arte Cab. Quod ipsum Arriani Stoici, Mercurij Trismegisti, & Macrobij lib. 1. in Som. Scip. cap. 12. exemplum facilè euincit. Nos autem qui ex gratia Dei diuinis edocti sumus scripturis, diuinam essentiam ab essentia nostræ animæ longissimè differre, credimus: quod ipsum in hoc capite ostendere satagimus.

Mercurius Trismeg. in Pimandr: Macrobius lib. 1. in Som. Scip. cap. 22.

Thesis huius capitis.

Dico animam rationalem spiritualem non esse partem diuinæ essentiæ: sed substantiam ex nihilo creatam.

Thesis manifesta est. Duo tamen continet: Vnum negatiuum, & alterum affirmatiuum.

Negatiuum est: Animam non esse ex Dei essentia.

Affirmatiuum: Animam esse substantiam ex nihilo creatam.

Vtrang; partem nunc confirmemus.

Locus

Locus primus.

Exod. 3. vers. 14. Et dixit Deus ad Mosem Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν: *Sum ille, qui est, vel ego sum, qui sum, aut vt Hebræus habet textus* אהיה אשר אהיה *Ero qui ero. Iohan. 4. vers. 24.* πνεῦμα ὁ θεός: *Deus est Spiritus.*

Animam non esse ex Dei essentia probatur.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si diuina essentia ita prorsus est simplicissima & indiuisibilis, vt nullo modo sit, aut dici possit composita: non potest anima rationalis pars esse Diuinæ essentiæ. Sed diuina essentia, ita prorsus est simplicissima & indiuisibilis, vt nullo modo sit aut dici possit composita.

Primus Syllogismus.

Eapropter anima rationalis non potest esse eiusdem ac diuina est, essentiæ.

Complexum hypotheticum totum ex eo pendet, quòd essentia Dei longè alio modo sit & dicatur simplex, quàm substantia animæ: quàm distinctionem in probatione assumpti attingemus.

Assumptum nititur expressis Scripturæ Locis. Cum enim Deus sese vocet Esse, sine vllo prædicato: satis indicat, suam essentiam non solum esse Ens, sed & essentiam, quæ à nullo neq; per aliud, sed à seipsa, & per seipsam existit. Ideò respondet Mosi, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν: *Sum ille qui est simpliciter ex se, per se, & perfectissimè, cuius esse idem est atq; essentia. Hoc ipsum & locus Iohannis confirmat,*

in quo qualis sit Dei essentia, indicatur: spiritualissima scilicet & simplicissima supra omnes creatos spiritus, in quam nulla prorsus cadat compositio. Et ideo in sacris literis, abstractis solet appellari nominibus, vt cum dicitur, vita, & dilectio vocatur. Accedit huc, quòd nulla compositionis species in Deum competere potest: quod specierii compositionis enumeratione planum faciam. Sunt itaq; sex species compositionis quæ a scholasticis et Philosophis enumerantur.

Species compositionis sex.

Prima est: Cum totum componitur ex partibus. Hæc verò compositio in Deum, qui Spiritus est, non competit, cùm ne in animam quidem rationalem, & spirituales intelligentias competat.

Secunda species compositionis est, cum componitur ex materia & forma: Hæc quoq; species in Deum non conuenit, qui pura est forma, purus actus, omni materia carens: deinde quia omnes formas & materias creauit: Imò ne animabus quidem hæc compositio competit.

Tertia species compositionis est, cum aliquid componitur ex subiecto & accidentibus. Hæc quoque compositio in Deum non cadit. Est enim propria rerum creatarum: ob id nullum accidens in Deo poni, aut statui potest. Absit enim, vt Deo quippiam, quod per se non subsisteret, quale est accidens, attribuamus. Hæc tamen compositio competit animæ, cuius aliud est esse, aliud bonum, iustum esse.

Quarta

Quarta ſpecies eſt, cum ſit compoſitio ex Actu & potentia. Hæc quoq; in Deum non cadit, quia rerum eſt creaturarum, quæ cum ſint actu, id quod ſunt: poſſunt fieri id, quod non ſunt. Deus autem apud Prophetam de ſe ipſo clamat, Ego Deus & non mutor, vnde & Iehoua ab Hebræis vocatur. Cõpetit verò hæc ſpecies cõpoſitionis & in animas et in angelos, quod eorũ lapſus demonſtrauit.

Quinta ſpecies eſt, cùm compoſitio ſit ex genere, ſpecie et differentia ſpecifica. Hæc quoq; ſpecies compoſitionis in Deum minimè competit, partim quia Deus ſummum eſt genus, imò verò Tranſcendens, quod in ordinem generum cogi non poteſt: Partim quia nulla differentia poteſt illi attribui, cùm ſit ſolus & tranſcendat omnia. Hæc quoq; competit animæ. Vltimò reſtat ſubtilior quædam ſpecies compoſitionis, quam vocant ſcholaſtici compoſitionem, quæ ſit ex ESSE et ESSENTIA. Hæc enim diuerſa ſunt, ſiue ſpectemus eſſentiã ſiue accidentia, Vt hominẽ eſſe, aliud eſt, quàm humanitas, quia per humanitatẽ homo eſt. Nam homo eſt id, quod eſt: humanitas verò id, per quod eſt. Quamobrem certum eſt, τὸ εἶναι καὶ τὴν οὐσίαν diuerſa eſſe. Ne hæc quidem compoſitio in Deum competit. Deus n. eſt et ipſum, quod Eſt: et ipſum per quod eſt, adeoq; eſſe et eſſentia in Deo vnum ſunt; neque ὕπαρξις & οὐσία res eſſe poſſunt in Deo diuerſæ, & ab ipſo Deo differentes.

Cæterum hæc quoq; ſpecies compoſitionis in animas ritè competit, vt et in Angelos, quorũ eſſe aliud eſt, aliud eſſentia. Ex quibus omnib. duo hæc emergunt. Vnum, quòd anima non ſimpliciter ſit ſimplex, vt nullo modo dici compoſita poſſit. Alterum, quòd Deus ita prorſus eſt ſimplex, vt nullo omninò modo dici poſſit compoſitus: quæ differentia clariſſimè euincit, aliam eſſe animæ, aliam Dei eſſentiam. Huc pertinent clariſſima veterum patrum teſtimonia.

Auguſt. li 6. de Trinit. cap. 4.

Auguſtinus Tom. 3. lib. 6. de Trinit. cap. 4. Deo idem eſt, eſſe, & fortem eſſe, vel ſapientem eſſe vel iuſtum eſſe, & ſi quid de illa ſimplici multiplicitate, vel multiplici ſimplicitate dixeris, quo ſubſtantia eius ſignificetur. Humano autem animo non eſt, hoc eſſe, quod fortem eſſe, aut prudentem, aut iuſtum: Poteſt enim eſſe animus, & nullam iſtarum habere virtutum.

Idem lib. 6. de Trinit. ca. 6. Creatura quoque ſpiritualis, vt eſt anima, in comparatione quidem corporis, eſt ſimplex: ſine comparatione verò corporis multiplex eſt, & non ſimplex. Quæ ideo dicitur ſimplex, reſpectu corporis, quia mole non diffunditur per ſpatium loci: ſed in vnoquoque corpore, & in toto tota eſt, & in qualibet eius parte tota eſt. Et ideo cum ſit aliquid, in quauis exigua parte corporis, quod ſentiat anima

anima, quamuis non fiat in toto corpore: illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Sed tamen nec in ipsa anima vera simplicitas est. Cum enim aliud sit, artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud tristitia, possintque hæc, & alia eiusmodi innumerabilia in animæ inueniri natura, & alia sine alijs, & alia magis, alia minus: manifestum est, animæ non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est. Omnis autem creatura mutabilis est: Nulla igitur creatura verè simplex est. His præmissis de Dei simplicitate, subijcit postea Augustinus hæc verba: Deus verò etsi multiplex dicatur, verè tamen & summè simplex est. Dicitur enim magnus, bonus, sapiens: sed eadem magnitudo est, quæ sapientia. Non enim mole magnus, sed virtute: & eadem bonitas eius est, quæ sapientia & magnitudo & veritas.

Hilarius libr. De vnitate Patris & Filij.

Hilarius in libro de vnitate patris & Filij pag. 769. Non est ex compositis, neq; inanimatis Deus, qui vita est: neq; qui virtus est, ex infirmioribus continetur: neq; qui spiritus est, ex disparibus Formabilis est. Totum in eo quod est, vnum est.

Ex his omnibus colligi potest, simplex non vno modo dici: ac proinde alio modo Deum, alio animam simplicem esse. Vna itaq; simplicis species est

Species simplicis duæ.

propria & absoluta, quæ ex diuersis nullo modo est composita, in quam nullæ species compositionis competunt, & quò quid minus est compositum, eò etiam simplicius est, et appellatur. Hac specie simplicis, nullius rei creatæ natura & essentia simplex est: sed vnius tantùm Dei, cùm omnia constent, vt diximus, ex actu saltem et potentia, esse & essentia. Alia ergo simplicis species est, impropria et relatiua, cùm vna res comparatione alterius dicitur simplex. Ita omnes substantiæ simplices in rebus creatis dicuntur, ratione compositarum rerum. Vt Angeli & animæ nostræ simplices vtique sunt, respectu elementorum: & rursus Elementa dicuntur simplicia principia, ratione rerum, quæ ex elementis componũtur, hoc est, elementatorum.

Quamobrem his omnibus in vnum collatis, veritas connexi hypothetici extra omnem collocatur dubitationem.

Locus secundus.

Psal. 102. ver. 27. In principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanebis. Omnes ipsi quasi vestimentum veterascent, & quasi pallium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse & & anni tui non deficient.

Malach. 3. v. 6. Ego Iehoua, et non mutor. 1. Tim. 1. v. 17. Regi seculorum, id est, æterno, immutabili, inuisibili, soli Deo laus et gloria.

Ia-

Iacob 1.ver.17. Apud quem (Deum) non est transmutatio, nec vicissitudinis (τροπῆς) aut conuersionis obumbratio.

Ex his scripturæ Locis sequentem conficio conclusionem.

Secundus Syllogismus.

Si animæ hominum sunt pars diuinæ essentiæ: aut creatam animam in Deum cuadere creatorẽ, aut Creatorẽ in creaturam transmutari necesse est: et sic quot creaturæ rationales, tot Deos esse oportet. Sed neq; creatura in Creatorem, neq; Creator in creaturam transmutari potest, nec plures quam vnus Deus esse potest. Quare consequitur, animam rationalem non esse partẽ diuinæ essentiæ.

Connexum hypotheticum lucet sua luce: Quicquid enim Diuinam essentiam habet, Deus vt sit necesse est: cum Deus nihil sit aliud, quam id, quod diuina constat essentia. Et cum diuina essentia sit simplicissima, neq; in partes diuidi possit: id quod aliquomodo participat diuinæ essentiæ, tota vt illi communicetur, necesse est: ac proinde verus vt sit Deus oportet. Ita dicimus, Christum Dei filium verum Deum esse, quia totam essentiam Diuinam Pater illi communicauit, per modum, quem sacræ literæ vocant generationem. Si itaq; animæ rationales ex diuina essentia suum esse habent: vt tota essentia illis sit communicata, necesse est, per quam non

iam amplius sint creaturæ, sed Deus Creator: quod impossibile est, vt habet assumptum. Assumtum verum est, propter locos expresse à nobis citatos, quorum summa est: Impossibile esse, Deum mutari. His locis accedunt patrum testimonia.

August. li. 5. De Trinit. cap. 2.

Augustin. de Trinit. lib. 5. cap. 2. Aliæ (inquit) essentiæ vel substantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quãtacunq; mutatio. Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest: & ideo sola substantia vel essentia quæ Deus est, incommutabilis est.

Idem lib. 1. de Trinit. cap. 1. Cùm anima quodammodo dicatur esse, & sit immortalis: non diceret Apostolus, qui solus habitas immortalitatem, nisi quia vera (Dei) immortalitas incommutabilitas est, quam nulla habere potest creatura, quoniam solius creatoris est.

Theodoretus in ἀτρεπ.

Theodoretus in illo Dialogo, qui ἀτρεπτος inscribitur, hoc solum agit, vt Deum immutabilem esse ostendat.

Aug. lib. 7. de Gen. ad literam cap. 2. Nos credimus, Dei naturam atq; substantiam, quæ in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, omninò esse incommutabilem. Porrò autem animæ naturam vel in deterius vel in melius commutari posse, quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est, eam, & Deum, credere vnius esse substantiæ. Quid n. hoc modo aliud, quàm vt ille commutabilis creditur? Cauendum itaq; est, & intelligen-

Athanasius in libro Disputat: & Definit: capite de anima & mente. Athanasius de Definit.

Cæterum inquit, nemo existimet, quòd ille Spiritus, quem in hominem inflauit Deus, factus sit anima. Absit. Sed spiritus ille perficit animam. Nam si in homine spiritus ille esset anima, esset nimirum ex Dei essentia. Si ergo ex Dei essentia esset anima, inalterabilis vtiq; semper esset anima & immutabilis qualis est Deus: Inquit enim ipse: Ego ipse sum, & non sum permutatus. Anima autem interdum quidem stulta est, interdum sapiens, interdum peccatrix, interdum iusta, & alio quidem tempore fidelis, alio verò tempore incredula, aliquando rerum ignara, aliquando sciens, nonnunquam prompta, & aliquando tarda. Cum hæc in sese habeat anima, quonam pacto dici potest, quod ex Dei sit essentia? Illud haud quaquam esse potest.

Locus tetrius.

Deut. 32. vers. 4. Deus veritas est, & non est iniquitas apud eum.

Psal. 5. vers. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es, & non habitabit iuxta te malum.

Habac. 1. vers. 13. Mundi sunt oculi tui Domine, & respicere ad iniquitatem non poteris.

Rom. 9. v. 14. Nunquid iniquitas apud Deum?

Ex his scripturæ locis & præcedentis Syllogismi occasione, talem conficio conclusionem.

Si na-

debemus intelligere hunc locum, vt non quia dictum est, inflauit in eum spiritus vitæ, & factus est homo in animam viuentem, credamus, illam veluti partem naturæ Dei, in animam hominis fuisse conuersam, & cogamur dicere, naturam Dei esse mutabilem: in quo errore maxime istos Manichæos veritas premit. Sicut enim est mater omnium hæreticorum superbia, ausi sunt dicere, quòd natura Dei sit anima.

Idem ibidem: Si non desunt qui dicant, spiritum hominis non esse factum, & ipsum arbitrantur esse naturam Dei, & in ipsum dicant partem Dei esse conuersam, cum illa insufflatio Dei facta est, quod sanè dictum similiter respuit: quia & ipse spiritus hominis, cum aliquando errat, & aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat, quod nullo modo de natura Dei fas est credere.

Cyrillus lib. de Adorat: in Spiritu.

Cyrillus Tom. 2. libro de Adoratione in Spiritu: Nunquid diuinus spiritus factus est homini anima? Et quomodo non absurdum, hîc vel cogitare tale quiddam? Nunquid anima permansit immutabilis? At quod mutabile minimè Spiritus est: vel siquidem mutabilitate laberat, in ipsam diuinam naturam statim transit macula, quandoquidem Spiritus qui substantialiter ex vtroq; hoc est, patre per Filium procedit, est Dei ac patris, & Filij: Imperitè igitur putant, Spiritum in animam esse transmutatum, & in hominis transiuisse naturam. Athana-

carminibus animæ contagia depingit:

——— *Sic corpus onustum*
Extremis vicijs animam quoq; prægrauat vnà,
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.

Horat. lib. 1. Serm.

Cum itaq; duo sint extremè contraria, iustitia & iniquitas, & iustitia semper Deum comitetur, imò ipse Deus sit: Iniustitia verò sæpè hominem occupet: Colligimus, animam hominis non esse ex diuina essentia. Et hoc illud est, ex quo etiam Aurelius Prudentius in sua Apotheosi argumentatur, inquiens:

Prudentius in Apotheosi.

Absurdè fertur Deus aut pars esse Dei, quæ
Diuinum summumq; bonum de fonte perenni
Nunc bibit obsequio, nũc culpa aut crimine perdit,
Et modo supplicium recipit, modo libera calcat.

Accedit huc Aurelius alter, sed nomine Augustinus, qui Tom. 6. Contra Fortunatum Manichæum scribens, sic ait: Si quæris, vtrum à Deo descendat anima, magna quidẽ quæstio est. Sed siue à Deo descendit, siue nõ, illud de anima respondeo, nõ esse Deum: aliud esse Deum aliud animam. Deum esse inuiolabilem, incorruptibilẽ, & incoinquinabilem: & qui ex nulla parte corrumpi possit, & cui nulla ex parte noceri potest: Animam verò videmus & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio ostendit mihi, quod anima non sit Deus. Nam si anima substantia Dei est, substantia

Augustinus contra Fortunatum.

Tertius Syllogismus.

Si natura Dei vicissitudini, atq; peccato immergi non potest, anima rationalis non est pars diuinæ naturæ.

Sed natura Dei vicissitudini & peccato, nedum immergi, sed ne contaminari quidem potest: Absit.

Ea propter animæ rationalis essentia non est eiusdem cum Deo substantiæ.

Connexum hypotheticum experientia euincit, quæ docet: animam rationalem peccato immersam esse, vt nihil de testimonio Mosis loquar, in quo expressis verbis homo peccati reus pronunciatur Gen. 3. vers. 6. 7.

Deus a peccato longissimè abest.

Minor fidem sibi facit ex Locis scripturæ expressis, quorum summa est, Dei essentiam longissimè à peccato abesse. His accedunt veterum patrum testimonia.

Augustinus Tom. 3. libro de spiritu & anima cap. vlt. Scio quod sicut impossibilitas ita & iniquitas non est apud Deum. Clemens Alexandrinus li. 1. pædag. cap. 2. Propterea dicit, solum esse Deum iudicem, quòd solus sit, in quem peccatum non cadat. Et quia nullum cadit in eo peccatum, nulla profectò peccatrix natura originem ex eius essentia ducit. Animam verò peccatricem esse, quis non nouit? quis eam quotidiè horrendis peccatis contaminari non videt? quod ipsum & prophanum poëtam Horatium non latuit, qui his carmi-

carminibus animæ contagia depingit:

——— *Sic corpus onustum*
Extremis vicijs animam quoq; prægrauat vnà, Horat. lib. 1. Serm.
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.

Cum itaq; duo sint extremè contraria, iustitia & iniquitas, & iustitia semper Deum comitetur, imò ipse Deus sit: Iniustitia verò sæpè hominem occupet: Colligimus, animam hominis non esse ex diuina essentia. Et hoc illud est, ex quo etiam Aurelius Prudentius in sua Apotheosi argumentatur, inquiens: Prudentius in Apotheosi.

Absurdè fertur Deus aut pars esse Dei, quæ
Diuinum summumq; bonum de fonte perenni
Nunc bibit obsequio, nunc culpa aut crimine perdit,
Et modo supplicium recipit, modo libera calcat.

Accedit huc Aurelius alter, sed nomine Augustinus, qui Tom. 6. Contra Fortunatum Manichæum scribens, sic ait: Si quæris, vtrum à Deo descendat anima, magna quidē quæstio est. sed siue à Deo descendit, siue nō, illud de anima respondeo, nō esse Deum: aliud esse Deum aliud animam. Deum esse inuiolabilem, incorruptibilē, & incoinquinabilem: & qui ex nulla parte corrumpi possit, & cui nulla ex parte noceri potest: Animam verò videmus & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio ostendit mihi, quod anima non sit Deus. Nam si anima substantia Dei est, substan- Augustinus contra Fortunatum.

tia

tia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere.

Vide Epiphanium lib. 1. cont. hæres. cap. 2. & lib. 2. cap. 27. Chrysostomum Hom. 13. in Genesin: Irenæum lib. 1. cap. 24. Leonem primũ epist. 93. c. 5.

Locus quartus.

Heb. 1. vers. 3. Qui (Filius) Cùm sit splendor gloriæ, & expressa imago personæ illius, portat omnia verbo illo suo potente.

Colos. 1. vers. 15. Qui (Filius) est imago Dei inconspicui.

Quartus Syllogismus. *Ex his locis sequentem Conscio Conclusionem.*

Si solus Dei Filius exclusiuè ita est imago Dei, vt etiam sit essentia is ipse Deus, qui est & pater: sequitur, nullam aliam creaturam, ac proinde neq; animam, esse Dei imaginem, & expressum substantiæ eius characterem.

Sed solus Dei Filius exclusiuè ita est imago Dei, vt etiam sit ex eius essentia, Deus de Deo, lux de lumine.

Eapropter consequi videtur, animam rationalem non esse expressam Dei imaginem & characterem substantiæ eius.

Connexum hypotheticum quam habeat euidentiam, nunc ostendo, idq; diuisione rerum.

Omnis itaq; natura vel ea est, quæ nullum habet authorem, sed ipsa author omnium existit, vt Deus:

Deus: vel est, quæ alium habet authorem, nempe Deum, ex quo est. Rursus hæc natura, quæ ex Deo est, duplex est. Alia enim ex Deo quidem est, sed non est facta. Quæ rursus duplex est:

Alia enim genita est ex Deo, & totam illius essentiam atq; imaginem expressam habet: talis est Filius Dei.

Alia verò non genita est, sed procedit à Deo, quæ etiam totam Dei essentiam per communicationem, quam Scriptura vocat processionem, habet: talis est Spiritus sanctus.

Alia autem natura, quæ ex Deo est, facta est, & creatura nuncupatur. Hæc ita est à Deo, & eius imaginem sic exprimit, vt totum id, non natura, sed gratia: non essentia, sed participatione habeat: non genita, sed facta: non processit, sed creata est.

Ex quibus duplex imaginis significatio emergit. Vna enim imago increata est, alia creata.

Imago duplex: Creata Increata.

Increata imago essentiam Dei totam habet, ac proinde sola exclusiue vera Dei imago dici potest. Talis est Filius Dei, vt habet assumptum ex locis scripturæ extructum.

Creata imago duplicem, rursus habet gradum: Vnus toti speciei rationali, id est, homini communis est, de quo Moses loquitur Gen. 1. v. 26. Creauit Deus hominem ad imaginem suam secundum similitudinem suam.

Creata imago in homine duplicem habet gradum.

Alter

Alter verò gradus ordinis politici ratione, non vtriusq; sexus, sed viri tantum proprius est, de quo loquitur Paulus 1. Cor. 11. vers. 7.

Vir imago est & gloria Dei. Tota hæc imago creata non in essentiæ communicatione, sed in conformitate sanctitatis, & iustitiæ, nec non imperij constat. Quare cum hominis anima hanc imaginem duntaxat habeat, aliam vero increatam solus Dei Filius: sequitur, animam non ita esse essentiam Dei, ac est Filius ille substantiæ diuinæ character.

Bernardus in Cant. Cantic. Serm. 80.

Hoc est quod Bernardus Serm. 80. super Cantica Cant. ait, Anima non ad imaginem tantùm Dei, sed & ad similitudinem facta est. In quo similis sit quæris: Audi de imagine prius: Verbum est veritas, est sapientia est iustitia, & hæc imago, iustitia de iustitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil est anima, quoniam non est imago. Est tamen eadem capax, appetens, & inde fortassis ad imaginem. Celsa creatura in capacitate quidam maiestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne præferens.

Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum,

Hieronymus li. 2. aduersus Iouinianum simili modo scribit: Diximus suprà, et nunc plenius inculcandum est, non nos secundum naturam, sed secundum gratiam, vnum esse in Patre & Filio. Neq; enim eiusdem substantiæ est (quod Manichæi

chæi solent dicere) anima humana, & Deus. Vides enim, quòd in consortium substantiæ eius assumimur, id esse non naturæ, sed gratiæ. Ex quibus omnibus in vnum coactis, liquet, nostram Thesin in media veritatis luce versari: nempe, Animam rationalem spiritualem, non esse partem diuinæ essentiæ, sed substantiam ex nihilo creatam.

CAPVT X.

SI ANIMA RATIONALIS NEQVE EST corpus, nec pars diuinæ essentiæ, an igitur à Deo ante mundum conditæ animæ in theca thesauri diuini in cœlestibus conseruantur, vnde in corpora nascentium immittantur?

DVplex est authore Hieronymo Hom. 2. in Cant. Canticorum, principale munus scientiæ Christianæ. Vnum, vt cognoscamus Deum: alterum vt cognoscamus creaturam eius. Ac cum inter omnes res creatas homo facilè principem locum teneat, & in homine anima corpori præstet: Animæ cognitionem in creaturis esse præstantissimam, nemo non videt. Cum autem plurima sint, Scientiæ Christianæ duplex munus.

quæ de anima cognoſci debeant, præcipua tamen hæc capita ſunt, quæ ad animæ cognitionem ſpectant: Quæ nimirum ſit animæ ſubſtantia, vtrum corporea vel incorporea: & vtrum ſimplex, vel ex duobus, aut tribus, aut pluribus compoſita: vtrum facta, an omnino non ſit facta: Et ſi facta ſit, quando ſit facta, vtrum, vt putant aliqui, nuper ſit creata, & tunc primum facta, cum corpus formatur, cui vnitur; an verò prius & olim facta, ob aliquam cauſam ad corpus ſumendum venire exiſtimetur: Et ſi non ante formatum corpus extitit, quo modo ergo corpori vniatur, an intus ſimul cum corpore originem ex ſemine corporali ſumat, vt origo eius pariter cum origine corporis traducatur: an certè extrinſecus veniens quotidie ex nihilo creetur, & formato iam in vtero materno, corpori à Deo infundatur.

Quæſtiones de anima ſpinoſæ.

Has præſertim & longè plures de cognitione animæ, ſpinoſas me herculè quæſtiones perueſtigare debet, quiſquis vel exiguam de anima, eiusq; origine cognitionem vult attingere. Quæ profectò tanti ſunt momenti & laboris, vt Auguſtinus Lib. 4. de Anima, & eius Origine ad Victorem Vincentium ca. 4. in quæſtionem aſſumat: Vtrum pertineat ad nos, dum hic viuimus, noſſe animæ originem, & putat, cognitionem animæ ex his rebus eſſe, de quibus dicitur: Altiora te ne quæſieris, & for-

& fortiora ne scrutatus fueris. Cuius rationem hanc assignat, in lib. De peccat. merit. & remissione contra Pelagianos cap. 10. quòd nulla in scripturis sanctis certa & aperta testimonia inueniri possint, aut saltem difficulter possint de animæ origine: ac in eo laudat Pelagium, quòd de origine eius dubitauerit, pariterq; concludit, se nihil certi de animæ origine scire. Quod ipsum postea multis locis repetit, vt Lib. 1. de Anima & eius origine cap. 16. Tom. 1. Lib. 3. de Libero Arbit. cap. 21. Tom. 2. Epist. 7. ad Marcellinum: & Epist. 28. ad Hieronymum. Epist. 99. ad Euodium Lib. 10. de Genesi ad liter. cap. 6. 7. 8. 9. item de spiritu & anima cap. 48. Li. 1. Quæst. in Genesin quæst. 156. Lib. 10. de Genesi ad liter. cap. 21. & alijs infinitis locis.

Quam sententiam sequitur & Rufinus, qui eadem ratione (vt Hieronymus in Apologia aduersus Rufinum lib. 2. testis est) negabat se quicquam certi ex Sacris literis de origine animarum didicisse. Cæterùm hanc sententiam simpliciter illi repudiant, qui censent, animas à Deo quotidie creari. Dicunt etenim, perfectioni sacrarum scripturarũ vehementer repugnare. Cùm n. Paulus 2. Tim. 3. v. 16. 17. Scripturã concludat esse perfectissimã, quæ hominẽ perfectè in omnib. erudire possit: putant, indignũ esse fateri nullũ Patriarcham, nullũ Prophetã et Apostolũ aut Martyrem

extitisse, cui Dominus de hac quæstione reuelarit? Quid enim maius est, inquiunt, quid profundius, quid excellentius, cognitione diuinæ essentiæ, personarum puta triū in vnica existentium essentia? Audi quid Dominus dicat in Euangelio: Pater, reuelaui nomen tuum hominibus Iohan. 17. vers. 6. Quid? Patrem reuelauit: de statu autem & origine animarum tacuit? Cum itaq; (aiunt) sedulo & attento discipulo Sacræ literæ sint thesaurus inexhaustus, & diues, vt Irenæus ait, repositorium: accedamus modò ad eius sacrarium, non erit difficile cognoscere vnde fluat, & quo modo, origo animarum.

Irenæus li. 5. cap. 1.

Cæterùm cum hactenus iuxta decursum nostræ tractationis, docuerimus de essentia animæ; an sit videlicet, quid sit an ne corporea, vel incorporea; & si incorporea, an ne ex particula diuinæ essentiæ decepta: consequens est, vt in hoc capite illud primùm antè omnia expendamus, an animæ ante mundum iam olim conditæ, in thesauro diuinæ apothecæ reseruentur, & in corpora nascentium illinc demittantur.

Citat Hieronymus dictum Origenis in Comment. in Eccles. cap. 4. qui animas nostras, antequam ad nostra corpora ista descendant, versari apud superos, & tam diu beatas esse, quamdiu cœlesti Hierusalem & choro perfruuntur Angelico, docuerit: quam sententiam & Græcorum nonnullos

nullos defendisse, testis est Rufinus, in illo aduersus Hieronymum scripto libello, qui animas hominum non tunc creari à Deo, cùm in corpora nostra infunduntur, sed iampridem antè in cœlo vixisse, vnde in corpora nascentium demittantur, existimârunt.

Hic error à Platonicis hausius est, teste Augustino lib. 4. de Anima, & eius Origine, aduersus Vincentium Victorem, qui asserebant: animas hominum iam olim creatas mitti in corpora, & dum per intelligentias, & sphæras cœlestes transeunt, ab vnaquaq; sphæra sumere aliquod donum: quod ipsum olim Hesiodus de Pandora sua fabulatus est. Horum errorem sapere videtur & traditio illa Rabinorum, qua (teste Galatino lib. 2. cap. 3.) sparserunt, omnes Prophetarum animas in monte Sinai adfuisse, cùm Lex per Mosen à Deo promulgaretur. *Cui simile propemodum est, quòd tradunt; ante aduentum Christi in carne, omnes patrum animas ter in Hebdomada in monte Garizim conueniisse, & petiuisse à Deo, vt promissum semen exhiberet, quemadmodum idem Galatinus lib. 6. cap. 13. prodidit.*

Cæterùm hic error ad Originem duplici de fonte manauit, teste Caietano & Thoma Aquinate, Tom. 1. Summæ Quæst. 118. Artic. 3.

Putauit enim ille, animas eiusdem esse conditionis cum Angelis; ex quo errore alius ex tempo-

re manauit, animas intellectiuas non naturaliter, sed accidentariò vniri corpori, quod vtrumq; falsum est: Si enim anima eiusdem esset conditionis cum Angelo, idem esset modus intelligendi Angelorum & hominum: quod tamen falsum est, cùm homines naturaliter ope sensuum intelligant: Angeli verò sine sensu. Deinde si anima non naturaliter, sed accidentariò vniretur corpori; hæc absurditas sequeretur, quòd homo non esset ens per se, sed duntaxat per accidens. His itaq; *neglectis, quid hac de re Sacræ literæ doceant, quid'ue sit vero simillimum, expendamus.*

Thesis.

Dico, animas rationales non fuisse à Deo simul omnes creatas, neq; in Apotheca diuini thesauri in cœlis asseruari, vt illinc tandem in corpora nascentium demittantur.

I. Thesis nulla indiget explicatione, confirmanda potiùs est.

Locus Primus.

Rom. 9. v. 11. Nondum natis pueris, cum neq; boni quippiam fecissent, neq; mali, vt propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret: dictum est, maior seruiet minori: sicuti scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui.

Gen. 25 v. 8. Malach. 1. vers. 1. 2.

Ex

Ex hoc scripturæ loco talem conficio conclusionem.

Si infantes in vtero materno concepti, ante conceptionem suam, neq; boni quippiam, neq; mali possunt operari, aut facere? animæ eorum non asseruantur in Cœlis, in apotheca diuini thesauri, iam olim conditæ.

Sed infantes in vtero materno concepti, ante suam conceptionem, neq; quicquam boni, neq; quicquam mali facere possunt.

Eapropter animæ eorum iam olim conditæ non asseruantur in apotheca diuini thesauri.

Connexum hypotheticum quam habeat rationem, nunc declaremus: Quæro ergo, an animæ rationalis proprium sit officium intelligere, agere, motu proprio moueri: ita vt nisi intelligat, agat, anima esse desinat? Negari non potest.

At fortè negabit Origenes? Resoluat primùm hoc Axioma: Vnumquodq; intelligibile, in tantum est intelligibile, in quantum est actu. Nisi autem id quod est actu, operationem & actum proprium habeat, suumq; esse per eum declaret: existere, omninò intelligi non possit. Quare Aristoteles lib. 1. Ethic., animaduertens hanc animæ operationem propriam esse hominis, summam felicitatem eius in ea collocat. Iam verò si verum est, quod habet assumptum, nempe animam antequam corpori vniatur, nihil operari: res tota confecta est.

Veritatem verò assumpti, expressè locus Pauli confirmat, cuius summa est: Ante conceptionem, hominem neq; malum, neq; bonum operari: ac proinde prædestinationem, quæ præcedit conceptionem, non fieri respectu operum. Quare sequitur, animam non existere ante conceptionem corporum. Huc spectant veterum quoq; patrum testimonia. Hieronimus in Epist. ad Pammachium, contra errores Iohannis Ierosolymitani:

Hieronymus ad Pammach.

Si fuit anima, antequam in Paradiso formaretur, in quolibet statu & ordine & vixit, & egit, (neq; enim possumus incorporalem & æternam substantiam, in modum glirium, immobilem torpentemq; sentire) necesse est, vt aliqua causa præcesserit, cur quæ priùs sine corpore fuit, postea circumdata sit corpore.

Aeneas Gazæus in Theophrasto.

AEneas Gazæus in suo Theophrasto sic scribit: Animam humanam ex eodem opifice, qui & Angelos fecit, procreatam esse, vt colligamus, ipsa ratio suadet. Nihil enim ille ociosum, nihil superfluum, nihil frustra fecit. Sin demus, cum vnus homo fuisset, vnam etiam animam iam ante extitisse, corpus autem longo post tempore effictum: ociosa profectò fuit anima, priusquam in corpus descenderet, & tamdiu superflua, seu frustra condita, nec potuit vires suas exercere, neq; quid, quantumve posset ipsa scire: quæ omnia postquam descenderit, demum acquirit.

Idem

Idem paulò pòst: An ergo non præstat, eam vt primum prodierit, commissum sibi munus obire: quàm perinde ac si nondum nata esset atque profecta, adeò cunctari: eoq; ipso quòd initiò nihil egit, suam ipsius vim, facultatemq; prorsus omnem ignorare? Actio enim quid aliud est, quàm quædam cognitio, demonstratioq; virtutis.

Locus secundus.

Psal. 104. vers. 4. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flammantem.

Heb. 1. vers. 7. & 14. Nonné omnes sunt ministrantes spiritus, qui ministerij causa emittuntur propter eos, qui hæredes sunt salutis.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem, hoc modo:

Si facultates Angelicæ simul atq; creatæ sunt, finem suæ creationis assequutæ, & quo loco oportuit, à Deo collocatæ sunt, & suum quæq; munus obire, ministrare, & seruire iussæ sunt: sequitur, animas quoq; rationales simul atque producuntur, proprias suas sedes, in quibus habitent, ministrent, operentur sine mora adipisci, neq; in cœlis ociosas hærere: aliàs finem suæ creationis non ex toto assequerentur.

Sed facultates Angelicæ simul atq; productæ à Deo sunt, finem suæ creationis assequutæ sunt.

Ergo & animas finem suum ex tempore assequi, postquam creatæ sunt, necesse est, neq; in cœlesti apotheca asseruari.

Connexum hypotheticum lucet sua luce, propter vim comparationis. Quanquam enim Angeli, non sint hoc fine creati, vt corpora informent, & in ijs operentur, ob idq; simul omnes creati sunt: eam nihilominus stationem, ad quam Deus illos voluit collocare, sine mora adepti sunt. Quare etiam humanæ animæ (etsi non simul producuntur, quia corpora simul non existunt, quæ animam induiduant) simul atq; producuntur, propriam sedem in qua ministerium subeunt suum, sine mora vt adipiscantur, necesse est.

Assumptum probatur expressis scripturæ locis, quorum sensus est: Angelos ideò creatos esse essentia spirituali, puros, & veloces, tanquam ignis flammam, vt eò commodiùs, suum ad quod creati sunt, ministerium sine mora capessant.

Æneas Gazeus in Theophrasto.

Huc spectat illud Aeneæ Gazæi in Theophrasto dicentis, Facultates (Angelicæ) vt primùm prodiêre, & quo loco oportuit collocatæ sunt, & suum quoq; munus obire, & ministrare, & subseruire, & curare iussæ sunt. Humanam autem animam illi (hæretici) postquam constituêre longum tempus in ocio, serò tandem vinctam in sepulchrum, nempe, corpus mittunt. Equidem ei inuinctum est, vt terram ornet & iuuet, minimeq;

meq; hominis esset, si cessaret, quæ ad Dei cultum pertinent prædicare, & vt nullus Deo vacuus sit locus efficere.

Locus tertius.

Rom. 14. vers. 10.12. Omnes sistemur ante tribunal Christi, nempe vnusquisq; nostrùm, de seipso rationem reddet Deo.

2. Cor. 5. vers. 10. Omnes nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi, vt vnusquisq; recipiat ad id, quod in corpore gessit, vel bonum vel malum.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si cum sistemur ante tribunal Dei, vt recipiat vnusquisq; tantum propria actionum prout gessit in corpore, siue bonum siue malum, nec vlla erit mentio eorum, quæ ante corpus probè vel contrà fecerimus: sequitur animas ante coniunctionem corporis non extitisse in cœlis.

Sed cum sistemur ante tribunal Dei, ea sola quæruntur, quæ in corpore gessimus, neq; vlla erit mentio vitæ ante coniunctionem corporis peractæ.

Eapropter animæ hominum non extiterunt in cœlis, ante corporis & animæ coniunctionem.

Connexum hypotheticum lucet sua luce, propter perfectam diuini iudicij rationem, quæ

quæ in eo consistit, vt iudicemur secundum totum vitæ nostræ curriculum, vt patet ex Pauli loco prius citato.

Quicquid enim homo à puncto essendi, siue operatione animæ propria, siue corporis & animæ coniunctim (nam corpus nullam per se habet operationem) egit, idq; siue bonum, siue malum, in iudicium venire necesse est.

Atqui vt habet assumptum ex scripturæ locis extructum, nulla sit mentio vitæ ante corpus peractæ: quod ipsum apparet quoq; ex illa diuini iudicij forma, quam Matthæus cap. 25. vers. 34. & sequentibus, ex ore Christi diligentissimè descripsit, vbi non alia commemorantur facta, nisi quæ communia sunt corpori & animæ. Quare nostra thesis ex his extra omnem dubitationem collocatur.

Sed placet alias quoq; hoc loco adscribere rationes, ex Aquinate & Caietano.

Prima Ratio.

Vniri corpori, aut est animæ naturale, aut non naturale: Si naturale est, igitur sine corpore viuere, est præter naturam: ac proinde anima sine corpore existens, ante corpus viuit præter naturam, & per consequens, non habet suam perfectionem, ob idq; à Deo, cuius omnia perfecta sunt opera, produci vt non debuit, ita potuit: Si verò non

non est naturale: aut igitur est à voluntate propria, aut ab alia extrinseca causa. Non est à propria voluntate, quia esset voluntas irrationabilis, quæ cum corpore non indigeret, vellet ei vniri: nec ab alia extrinseca causa, quia vnio corporis & animæ esset violenta. Omne enim quod est præter naturam & voluntatem, ab alia causa extrinseca: violentum est.

Ergo anima nullo modo ante corporis coniunctionem in cœlis existere potuit.

Secunda ratio.

Si Deus non inchoat opus suum ab imperfectis: animæ sine corporibus non sunt creatæ, ante mundi conditionem. Sed Deus opus suum, quod vtiq; semper est vt summè bonum, ita summè perfectum, nequaquam inchoat ab imperfectis.

Ergò animas sine corporibus ante mundi creationem non produxit.

Connexum patet: quia anima sine corpore est imperfectum opus, quippe quæ vna duntaxat, sit pars hominis.

Minor probatur, quia hæc duo, Deus, & natura, sicut nunquam abundant in non necessarijs: ita nequam deficiunt in necessarijs & perfectis. Ac quod Deum attinet exemplo hominis res declarari potest, quem neq; creauit sine manu, neq; sine pede, aut capite, aut oculis aut naso, sed omnia

omnia illi membra perfectè, per omnes, vt loquitur Paulus, suppeditatas commissuras compacta adhibuit. Quare ex his rationibus liquet, animas non fuisse productas ante corpora, neq; in cœlis ociosas, & inuitas asseruari.

III. *Adscribam in fine veterum quoq; patrum testimonia.*

Augustinus. 1 *Augustinus Retract. lib. 1. cap. 1. Cum agerem de animo, dixi: securior rediturus in cœlum, iturus autem quàm rediturus dixissem securiùs, propter eos, qui putant, animos humanos pro meritis peccatorum suorum de cœlis lapsos, in corpora ista detrudi.*

Athanasius. *Athanasius in Tractatu Definit: capite, Quid sit vnitas: In nostra (inquit) conceptione videtur, quòd anima per se subsistens simul concurrat cum corpore. Nam corpus per se consistere non potest, nec anima subsistit ante corpus.*

Hieronymus. *Hieronymus lib. 1. in Comment: Epist. ad Philip. cap. 1. Inuadunt hoc loco occasionem, qui ante conditum mundum, animas putant, cum Angelis & cæteris virtutum nominibus, in cœlesti Hierusalem fuisse versatos.*

Idem in Epist. ad Cyprianum: Antequam (inquit) montes nascerentur, & parturiret terra, & orbis, à seculo vsq; in seculum tu es Deus. Hunc locum quidam praua distinctione subuertunt, maximè hi, qui volunt, antè fuisse animas, quàm homo

homo ante sexti diei terminum conderetur. Ita enim legunt etc. Nec verò lectionem ita debemus distinguere, vt Deus refugium nostrum fuerit, antè conditionẽ mundi, qui nec dum eramus: sed quòd Deus ab æterno, vsq; in æternum superſit Deus.

Idem hunc psalmi locum explicans Comment: in Psal. 89. ait: Subrepit (inquit) hoc loco hæresis, si refugium factus es nobis, antequam montes fierent: ergo animæ erant, antequam fieret orbis: Malè distinguis hæresis.

Cyrillus lib. 1. in Iohan. cap. 9. prolixè hæreticorum ineptias enumerat, qui quibusdam scripturæ locis abutentes, ante corpora humana, in beata vita fuisse animas in cœlo contenderunt. Ait autem inter cætera:

Hoc dogma pestiferum nituntur quoq; testimonijs scripturarum stabilire. Ait enim Psalmista psal. 118. priusquam humiliarer, ego deliqui. Quæ verba ita interpretantur: antequam humiliatus sit, id est, antequam corpori animus connexus fuerit, se deliquisse fatetur, atq; ideò ritè humiliatum fuisse, mortali corpori coniunctum. Ex quibus contendunt, antè animam extitisse, quàm corpori infunderetur, si peccare in cœlo potuit.

Mox ait: Sed nos huiusmodi portenta posthabentes pro responsione illis adducemus, quod Ieremias 23. capite in falsos doctores profert. Væ qui prophetatis à corde vestro. Hactenus sensum Cyrilli recensui. Idem

Idem ibidem: Non ergo carni iunguntur animæ, quia peccauerunt, quippe qui ante corpus non fuimus.

Mox ibidem: Authoritate Scripturæ nonnulli non ab ore Domini, sed à corde suo eructantes, sic abutebantur, vt ante corpora humana, in beata vita fuisse animas in cœlo contendant: quas cordis humani cogitationes friuolas non grauabor refutare. Quò & ego lectorem remitto.

CAPVT XI.

SI ANIMÆ RATIONALIS NEQVE SVNT pars diuinæ essentiæ, neq; in cœlis iam olim conditæ in apotheca diuini thesauri asseruantur: Anne igitur quemadmodum corpora, ita & animæ per seminalem traducem propagentur, an verò quotidiè à Deo creatæ, corporibus nascentium infundantur?

CONtrouersiam de Origine animæ rationalis vt peruetustam, ita spinosam perdifficilemq; esse, omnes existimant: neq; tamen pari omnes ratione

ratione expendunt, quo pacto, quatenus, quam deniq; ob causam, scientia de anima dicatur esse difficillima. Ego anteq; huius capitis statum expendam, demonstrare paucis conabor: quatenus, quomodo, quam deniq; ob causam scientia de anima sit difficillima, vel facillima: Quod vt faciliùs præstare possim, tres in primis diuisiones circa hunc tractatum sunt expendendæ. Prima sumitur à cognito & cognoscente. Secunda à difficultate cognitionis. Vltima à qualitate cognitionis.

Quod ad primum attinet, sciendum est: difficultatem cognoscendi, Aristotelem lib. 2. Metap. propter duos respectus fieri tradidisse. Aut ex parte ipsius rei, quæ cognosci debet: aut ex parte intellectus, qui cognoscit. Ex parte rei, cognitio tunc est facillima, quando res est actu. Vnum quodq; enim in tantum est intelligibile, in quantum est actu, ac proinde quantò est aliquid minus in actu tantò est minus intelligibile. Ex parte autem intellectus, tantò est res aliqua minus cognoscibilis, quantò res ipsa magis est in actu: & per consequens, maximè per se intelligibilis. Tum enim intellectus noster propter sui imbecillitatem, eo vsq; sese attollere non potest, vt ad eius posit pertingere cognitionem: quemadmodum in cognitione substantiarum separatarum, intellectu nostro accidit, quæ cum maximè sint in actu, ad earum cognitionem ægrè intellectus noster pertingere potest.

Quod ad secundam attinet diuisionem, sciendum est: dupliciter posse difficultatem inesse in aliquo cognoscendi modo, extensiuè (vt loquuntur Philosophi) et intensiuè: Extensiuè inest difficultas, cum rei natura facile quidem posset penetrari per se, sed quia circa eam multa numero oriuntur quæstiones, obiectiones & difficultates, ideo difficulter ad eius cognitionē penetrare possumus.

Intensiuè dicitur in modo cognoscendi inesse difficultas, quando rei per se essentia difficulter potest penetrari, vtpote quæ remotissima est à sensuum apprehensione.

Vltimò notandum est. vniuscuiusq; rei cognitionem duplici qualitate contineri. Aut enim cognitio perfecta est, aut imperfecta. Imperfecta cognitio est, qua res cognoscitur an sit, hoc est, quantum attinet ad aliquod commune prædicatum. Perfecta cognitio est, qua rei essentia quidditatiua (vt Philosophi loquuntur) cognoscitur. His diuisionibus præmissis: nunc videamus, quatenus scientia de anima sit difficilis, & quatenus facilis, & quæ sint causæ difficultatis, aut facilitatis.

I. *Dico itaq; primò, scientiam de anima ex parte animæ facillimam & notissimam esse. Ratio est in promptu: Quia quanto magis aliquid est in actu, tanto magis est cognoscibile; vt viciſsim quantò quid minus est in actu, & magis in potentia, tanto minus est cognoscibile. Vt apparet in prima materia, quæ cùm mera sit potentia,*

tia, difficulter admodum, & vt Plutar. lib. Physicorum ca. penult. docet, non nisi per ἀναλογίαν, quæ ab arte ad naturam sumitur, cognosci potest. Nunc verò animam maximè esse in actu, imò esse actum primum corporis organici, potentia vitam habentis, Aristoteles lib. 1. de Anima tex. 7. docet. Vnde consequitur, animam sui respectu, maximè esse cognoscibilem.

Secunda Conclusio: Dico animæ scientiam ex parte intellectus nostri esse difficillimam: Ratio est in promptu: Quia quantò est aliquid remotius à sensu, tanto difficilius ab intellectu nostro percipitur, qui naturaliter famulitio sensuum intelligit. Cæterùm animam à sensu remotissimam esse, quilibet intelligit: quippe quæ non sit corporea, neq; colorata, neq; odorata, neq; sapida, neq; sonora, nec denique tangibilis, circa quæ sensus potissimè occupatos esse physici docent. II.

Tertia Conclusio: Dico Animæ cognitionem Extensiuè, non aut simpliciter intensiuè esse difficillimam. Patet conclusio, tum ex ijs quæstionibus, quas Philosophus lib. 1. Tex. 7. 8. 9. circa originem animæ moueri docet, tum deniq; Hieronymus in Epist. recenset, quas in initio superioris capitis, bona ex parte protulimus. III.

Quarta Conclusio Dico scientiam de anima, secundum cognitionem an sit, hoc est, imperfectã, facillimam esse: sed secundum cognitionem quidditatiuam esse difficilem. IIII.

Ratio est in promptu : Quia omnis causa, cuius effectus nobis sit notissimi, notissima est, cognitione an sit. Sed effectus animæ nobis sunt notissimi : quilibet enim experitur, se videre, audire, tangere, moueri, meditari, cogitare, intelligere. Vnde sequitur, animam cognitione imperfecta an sit, omnibus esse notissimam : perfecta autem hoc est, quidditatiua cognitione, esse difficulter cognoscibilem. Augent verò hanc difficultatem, variæ quoq; grauissimorum authorum de origine animæ sententiæ. Alij etenim non infirmis rationibus contendunt : ex primo homine, vt omnia corpora, ita omnes exiuisse, & etiamnum exire animas. Quorum è numero Tertullianum in primis, Pompeum, Arnobium, Apollinarem atque etiam (teste Hieronymo in dialogo de Origine animarum) Lactantium fuisse videmus : quorum sententiam Medicos ferè omnes sequi, vnus Auicennas nobis testabitur, qui censet quoq; animam ex seminali traduce originem ducere. Quod ipsum & nostro seculo, non paucos, eosq; grauissimos Theologos amplecti cognouimus : vt arietem illum aulæ Pontificiæ, Lutherum, Philippum, M. & alios. Contrariam prorsus his sententiam illi sequuntur qui credunt : animas quotidiè à Deo creari, et corporibus nascentium infundi. Quam sententiam in dogmatibus Ecclesiasticis expressam reperimus, & à viris magnæ in Ecclesia authoritatis de-

Ego Lactantium in hac opinione fuisse in eius scriptis non reperio.

tis defensam scimus: vt sunt, Hieronymus, Ambrosius, Athanasius, Chrysostomus, Irenæus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Basilius, Gregorius Nissenus, Damascenus, Hilarius, Cyrillus, atq; etiam ex Scholasticis, Thomas Aquinas, Scotus, Durandus, Occam, Petrus de Alliaco, Caietanus, & plerique alij: vt interea taceam de Theologis nostri seculi præstantissimis, qui huic sententiæ subscribunt.

Cæterùm medium inter hos ingressi sunt viam, qui neglecta, vel saltem suspensa vtriusq; partis sententia, censent: doctrinam de origine animæ ex ijs rebus esse, de quibus dictum sit, altiora te ne quæsieris, & fortiora ne scrutatus fueris. Putant enim isti, nulla in scripturis sanctis certa & aperta extare testimonia, quibus demonstrari possit vera animæ origo. In hoc ordine diu stetisse Augustinum, tũ alia multa docti illius Patris monumenta, tum deniq; hæc verba, in libro de peccatorũ remissione et meritis contra Pelag. cap. 10. expressa, facilè et de plano euincunt: Nulla in scripturis sanctis inueniri possunt testimonia, aut saltem difficulter possunt, de origine animæ: quam sententiam pluribus locis postea repetit, vt in ingressu superioris capitis declaratum est.

August li. 4. de anima & eius orig. ad Victorem.

Hæc cum ita se habeant, eò profectò etiamnum me magis huius mei instituti torsit series, quæ extorquere hoc à me loco videbatur, vt aliquid certi de Origine animæ in medium proferrem. At vi-

cissim, cùm modestia Christiana, quam mihi semper ob oculos versari gaudeo, vltrò admoneat, ne in ijs negocijs, quæ ingenio meo maiores longè habent authores, iudicem me aut arbitrum interponam: ne suscepto ordini deesse prorsus viderer, in eam (admonitus quoq; ab humanissimo & doctissimo Theologo, D. Polycarpo Leyserο, Pastore Vittembergensi atq; Superintendente) deueni sententiam, vt nihil hac quidem in re, ex propria decidere sententia: sed duntaxat vtriusq; partis argumenta colligerē, atq; fideliter expenderem, vt hoc pacto sedulus lector per se iudicare posset, cui sententiæ, non sine rationum momentis subscriberet. Eo itaq; ordine totam hanc disputationem persequar, vt in hoc capite eorum primùm proferam argumenta, qui censent: animas, vt corpora, ex potentia seminis traduci. In sequenti autem capite, eorum rationes substernam, qui quotidiè animas creari à Deo, & corporibus infundi existimant.

Thesis.

Anima rationalis non minus educitur ex potentia seminis, per traducem, ac duæ reliquæ, sensitiua & vegetatiua: atq; sic totus homo, totum generat & producit hominem.

Thesis hæc primò explicanda est, deinde confirmanda. Ac quòd ad explicationem attinet, sciendum primò est, quod educi de potentia materiæ, dupliciter potest intelligi. Vno

Vno modo, cum forma, quæ prius erat in potentia in materia, dependet in actu à materia secundum esse, & secundum operationem, & in illam ab agente naturali introduci.

Alio modo potest intelligi, vt sit idem, ac formam, qua prius non erat in materia, post modum ibi fieri actu, per introductionem agentis. Iam verò cum thesis hæc concludat, animam de potentia materiæ educi: illud vult colligere, animam rationalem in potentia materiæ præextitisse, ex qua ab agente naturali producta sit in actum.

Secundò sciendum est, quòd quemadmodum in omni generatione, ita quoq; in humana, duo in esse necesse est: agens, & patiens, siue instrumentum. Iam verò agens, forma est ipsa, nempe anima hominis, quæ in generatione agit principaliter, vt causa secunda: Semen verò instrumentum est siue materia, quæ & ipsa agit quidem, sed duntaxat quatenus est instrumentum, dependens à principali causa. Cum itaq; hæc thesis causam agentem & instrumentalem simul coniungat, duo pariter concludit: Primò quod anima intellectiua non secus sit ab agente corporeo, quàm anima sensitiua & vegetatiua: Deinde quòd non modo sit ab agente corporeo, sed etiam sit eo modo, hoc est, per semen, ex cuius potentia educatur.

Locus primus.

Gen. 2. vers. 2. Cum autem perfeciſſet Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: ipſo die ſeptimo quieuit ab omni opere ſuo, quod fecerat.

Ex hoc loco ſequens conficitur concluſio:

Si Deus animas quotidiè produceret, & non potiùs per vim ſeminalem in poſteros traduceret, duo errores ſequerentur. Aut enim animas ante mundum productas, corporibus infunderet: aut nondum finem creationi impoſuiſſet.

Sed antecedens negat pars aduerſaria.

Ergò duos hoſce errores inuehit.

Connexum patet: Primò, quia aut Deum nouas quotidiè animas producere, neceſſe eſt: aut ſi nõ quotidiè nouas facit, eas in cœleſti apotheca, vt creatas olim aſſeruet, res ipſa poſtulat. Vtrumque autem horum credere, ſummæ eſt impietatis. Primò, quia Moſes expreſsè teſtatur, Deum requieuiſſe ab opere creationis. Deinde, quia error ille Origenis, qui cenſet, animas in apotheca diuini theſauri aſſeruari, in numerum hæreſium relatus eſt, & à nobis capite nono abundè explo-ſus. Quare ſequitur, animas per vim ſeminalem ſeri.

Locus ſecundus.

Gen. 1. vers. 27. 28. Cum creaſſet Deus hominem

nem in imagine sua, benedixit eis, dicens: fœtificate & augescite, ac implete terram.

Gen. 5. vers. 3. Vixerat autem Adam centum & triginta annos, cum gigneret filium in imagine sua, secundum similitudinem suam, & vocaret nomen eius Sethum.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si omnia animantia ex diuina illa benedictione multiplicata, simile per omnia sibi generant, secundum speciem; non est homo reliquis animantibus inferior, vt per generationem corpus duntaxat sui fœtus produceret.

Sed tum omnia animantia sibi simile generant anima & corpore, iuxta suam speciem suam: tum homo reliquis animantibus inferior non est.

Ergò & homo sibi simile generat anima & corpore, iuxta suam speciem; & per consequens, anima educitur ex potentia seminis.

Conuexum hypotheticum firmum est, propter istas rationes: Primò, quia si homo tantùm corpus producit sui fœtus; duo consequuntur: Vnum, quòd homo inferior sit reliquis animantibus, quæ suos fœtus producunt anima & corpore. Alterum, quod homo sibi simile non generabit. Constat enim homo corpore & anima, in quibus partibus similitudo consistit.

Secundò, quia si tantum corpus produceret, tale specie animal non produceret, quale ipse est. Species enim humana constituitur non per corpus, sed per animam rationalem. Et hæc est causa, quòd in ijs quæ sibi simile generant, oporteat formam generati actu inesse in causa generationis.

Tertiò, phrasis scripturæ, qua Moses vtitur, subindicare videtur, animam ex potentia seminis educi. Quid enim est imago Adami, in quam suos posteros generat, nisi species humana? quæ (vt dixi) constitui sine anima non potest.

Vltimò: quia si imago Dei & hominis opponantur, planè ostendetur, totum hominem ex toto homine produci. Imago enim Dei licet ad totum hominem spectet, qui corpore & anima constat: ad animam tamen propriè ac in primis referri debet. Ex quo consequitur, imaginem quoq; Adami, ad quam Sethus fuit genitus, non tam ad corpus, quàm ad animam pertinere. Quibus omnibus ad summam reductis, patet, animam ex potentia seminis educi.

Locus tertius.

Gen. 44. vers. 26. Omnes animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, egressæ è femore eius, exceptis vxoribus, omnes animæ sexaginta sex erant.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si nihil

Si nihil egredi potest de femore hominis, nisi in quantum causatur à semine, anima intellectiua simul cum corpore ex semine causatur.

Sed nihil egredi potest è femore hominis per generationem, nisi in quantum causatur ex semine.

Ergo anima intellectiua simul cum corpore causatur ex semine.

Connexum hypotheticum firmum est, si modus egrediendi è femoribus perpendatur. Modus autem egrediendi, generatio est, cuius tres esse virtutes, constat ex Physicis: generatricem, formatricem, & seminalem. Nunc verò cum in omni generatione, seminalis potentia præsupponatur: omnes autem animas è parentum femoribus exire Moses dicat: constat, Mosen significare voluisse, animas posterorum, ceu corpora, à parentũ femoribus transfundi.

Locus quartus.

Gen. 38. vers. 9. Sciebat autem Onan, non fore suum semen illud: ideò congressurus cum vxore fratris sui, perdebat semen, effundens in terram, ne suppeditaret semen fratri suo. Cumq; malum videbatur in oculis Iehouæ, morti tradidit etiam istum.

Ex hoc loco sequentem conficio syllogismum.

Si Do-

Si Dominus morte affecit Onanem, quòd semen genitale in terram perfundens, vitam posteritatis perdidit, sequitur animam, vt corpora, ex parentum seminibus causari.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum firmum est, propter talionis legem. Extat enim lex talionis, Exod. 21. vers. 23. vbi hæc verba leguntur: Si quis percusserit mulierem grauidam, ita vt ejiciatur fœtus eius, & exitium sit, tum reddet animam pro anima.

Iam verò cum hoc loco Onanem morte Dominus mulctauerit, quòd semen effundendo, conceptionem fœtus prohibuerit: intelligimus, hanc seminis eiectionem loco homicidij Dominum habuisse: ac proinde per semina, animas hominum cum corporibus propagari. Cur enim tam seuerè illum vita priuasset, nisi subindicare voluisset, in seminis perditione animam cum corpore humano periisse:

Locus quintus.

Psal. 139. vers. 15. 16. Ex quo factus sum in abdito, artificiosè confectus, velut in imis partibus terræ, non celata est vis mea tibi: Massam meam vident oculi tui, & in libro tuo hæc omnia scripta sunt.

Hierem.

Hierem. 1. vers. 5. Cum nondum formauissem te in vtero, agnoui te, & cum nondum produxisses ex vulua, sanctificaui te.

Iob 3. vers. 2. Vtinam perijsset dies, quo nasciturus eram, & nox qua parens dixit, conceptus est homo.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si homo integer, in abdito siue vtero matris, cum tota sua massa concipitur, anima intellectiua ex potentia seminis pariter cum corpore educitur.

Sed homo integer in abdito matris vtero, cum tota sua massa concipitur.

Ergo anima intellectiua ex potentia seminis pariter cum corpore educitur.

Connexum totum cohæret optimè, si expendantur tria scripturæ dicta: Homo, abditum, & Massa: Ac quod ad primum attinet, hominis nomen non solùm totam speciem, neq; solùm integrum animal, constans corpore & anima: sed & sexum vtrumq; denotat, quod ex Mosis dicto apparet Gen. 5. vers. 1. 2. Creauit Deus hominem ad imaginem suam, marem & fœminam creauit eos, vocauitq; nomen eorum hominem.

Nunc verò expressè ait Iob, hominem in vtero concipi: quare concludit, animam cum corpore ex semine originem sumere.

Quod

Quod attinet ad vocabulum abditi, significat apud Psalmistam vterum parentum, quod ipsum Hieremias expressè posuit. Cum itaq; dicat Psalmista, se in abdito mirificè formatum esse, innuit totius hominis conceptionem in vtero fieri.

Quod ipsum nomen Massæ, quod subijcit, clarius exprimit. Nomen siquidem Massæ, totum ui, quicquid est in homine significat: quod & verba sequentia comprobant. Dicit enim, in libro prouidentiæ diuinæ totam massam hominis, quæ formatur in vtero, descriptam esse. Quis verò ausit negare, animam pariter & corpus ab æterno prouidentia diuina fuisse cognita? Quæ omnia Connexi veritatem comprobant.

Minor expressis scripturæ locis fidem sibi facit.

Locus sextus.

Gen. 17. vers. 7. Stabilio tecum fœdus meum, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Vide cap. 26. vers. 3. cap. 28. vers. 4. Deut. 1. vers. 8. cap. 11. vers. 9. 1. Sam. 2. vers. 20. Benedixit Heli Elcanæ & vxori eius, dicens: reponat tibi Iehoua semen ex muliere hac, pro restitutione eius, quem petierat à Iehoua.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si Deus, eodem pacto Deus est seminis Abrahæ, quo pacto est Deus ipsius Abrahæ: &, si Elcanæ &

næ & Annæ tale Deus reposuit semen, quale antea à Domino petiuerant: sequitur, integrum hominem anima & corpore, semen esse Abrahæ & Elcanæ.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hanc habet euidentiæ rationem. Deus enim talis seminis se Deum promittit futurum, quales sunt parentes. Atqui Abraham, qui cum Deus percutiebat fœdus, integer erat homo, constans corpore & anima: & tamen Deum verum huius Deum appellare Christus non dubitauit: Ex quo consequitur (quod si eiusmodi seminis Deus se Deum esse promittit, cuiusmodi sunt parentes,) semina omnium parentum ea esse, quæ animæ & corporis, hoc est, integri hominis possideant rationem.

Deindè Elcanæ tale semen postulat Eli à Domino dari, quale ipse antea ab eodem Domino impetrauerat. Atqui Samuel, qui iam tum in domo Domini ministrabat, corpore & anima constabat. Omnes itaq; nati, qui ex semine parentum progenerantur, ob idq; semen vocantur, animam cum corpore ex virtute seminis paterni sortiuntur.

Locus septimus.

Psal. 50. vers. 7. En in iniquitate formatus sum, & in peccato fouit me mater mea.

Rom.

Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt.*

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si omnis posteritas in Adamo peccauit, & labem naturæ traxit: sequitur, ab Adamo omnes posteros anima & corpore procreari. Viciſim, si ab Adamo tum anima, quàm corpus non transfunduntur: vitij naturalis causa Deus erit, qui animam peccatricem infundit in corpus Omnium enim ortus iniquitati subiacet.

Sed omnis posteritas in Adamo peccauit, & labem naturæ contraxit: nec verò Deus author peccati esse potest, qui ipsissima est veritas, & purissima simplicitas.

Eapropter sequi videtur, animas cum corporibus in vtero parentum ex traduce seminali originem sumere.

Connexi prima pars firma est: quia peccatum non tam contrahitur à corpore, quàm ab anima. Quamobrem, si omnes peccauimus in Adamo: necesse est, vt anima & corpore in illo fuerimus.

Nec enim per illius inobedientiam, peccatores constituuntur multi: si tantum secundum carnem in illo, & non etiam secundum animam, fuerunt.

Altera

Altera pars conexi ex eo comprobatur, quod duo tantum sint, vnde in nos labem deriuari posse, vllo modo existimare posses: Adam, & Deus. Si itaq; ab Adamo negabimus originem animarum exiuisse: cauendum est, ne Deum statuamus authorem esse peccati, qui dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit.

Minoris prima pars expressis scripturæ locis comprobatur.

Secundam partem euincit Habacuc, qui cap. 1. vers. 13. testatur: Deum puriorem esse oculis, quàm vt malum aspicere vllo modo possit. Et Dauid clarè docet Psal. 5. vers. 5. Deum non esse studiosum iniquitatis, neq; apud eum diuersari malum.

Locus octauus.

Ioh. 3. vers. 3. Nisi quis genitus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.

1. Pet. 1. vers. 21. Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei viui, & manentis in æternum.

Ex his scripturæ locis talem Conficio
Conclusionem.

Si id totum ex depraua ta hominis naturæ originem ducit, quod in noua creatione, ex semine immortali regeneratur: sequitur, animam cum corpore ex natura Adæ originem sumere.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum firmum est, propter naturam contrariorum. Ita enim comparatum est, vt quod ex semine immortali instauratur: id per semen mortale & corruptum, fuerit genitum, Iam verò cum scriptura doceat, totum hominem anima & corpore instaurari: Consequitur quoq;, totum ex putri & corrupto semine natum fuisse.

Minor expressis scripturæ locis nititur.

Locus nonus.

Gen. 38. vers. 18. Dixit Iuda ad Thamar: Quod nam est pignus, quod dem tibi? quæ dixit, sigillum tuum, sudarium tuum, & scipionem qui est in manu tua, His datis ei, congressus est cum ea, & concepit ea ex illo.

2. Sam. 11. vers. 4. Misit Dauid nuncios, vt assumeret Bersabe, qua ingressa ad ipsum, cubauit cum ea. Concepit autem mulier, quapropter mittens, indicauit Dauidi, dicens: concepi.

Ex his locis sequens conficitur conclusio.

Si anima rationalis non per seminalem potentiam traduceretur, sed à Deo creata, corpori infunderetur: Deus interdum cooperaretur peccatis adulterorum, de quorum illicito concubitu proles interdum generantur.

Sed

Sed absit, vt dicamus, Deum illicito concubitu cooperari. Quare sequitur, animas ex potentia seminis educi neq; à Deo creari.

Connexum lucet sua luce. Si enim Deus ad impurum adulterorum concubitum corpori animam infunderet, cooperari vtiq; illorum peccato videretur. Nisi fortè excipias: in actione adulterorum, id quod naturale est, bonum esse, ac proinde huic Deum cooperari: quod verò est inordinatæ (vt ait Thomas) voluptatis, id malum esse, cui Deus nequaquam cooperatur.

Locus decimus.

Heb. 7. vers. 5. 9. 10. Et ij qui sunt in filijs Leui, sacerdotio fungentes, præceptum habent decimarum accipiendarum à populo, secundum legem, hoc est, à fratribus suis, licet egressis ex Lumbis Abrahæ: & vt ita loquar, in Abraham decimatus est etiam ipse Leui. Nam is adhuc in lumbis patris erat, cum occurreret Abrahæ Melchisedek.

Ex hoc scripturæ loco talis conficitur conclusio.

Si Leui, qui à fratribus suis decimas accipiebat, decimatus fuit à Melchisedeco, in lumbis Abrahæ: et tamen Christus, qui similiter erat in lumbis Abrahæ, in eo differt à Leui, quòd ipse nō fuerit

decimatus: sequitur, alio modo Leui, & alio modo Christum in lumbis Dauidis fuisse, nempe hunc corpore tantùm, illum anima pariter & corpore.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexi quæ sit ratio, expendamus. Sciendum itaq; est, in persona Melchisedechi sacerdotium Christi præfiguratum fuisse, iuxta illud Psal. 109. vers. 9. Tu es Sacerdos in æternum, se-
Heb. 5. vers. 5. 20. *cundum ordinem Melchisedech. Cum igitur Melchisedech decimauit Abrahamum, & in eius lumbis Leui: sequitur, sacerdotium Christi longè esse dignius sacerdotio Leui: ac proinde Christum, qui & ipse fuit in lumbis Abrahæ, non fuisse decimatum. Cùm autem vt Leui, ita & Christus, in lumbis Abrahæ fuerit, secundum carnem: causa quærenda est, cur Leui decimatus sit, Christus autem minimè. Statuendum itaq; est, Christum secundùm aliquem modum & fuisse, & non fuisse in lumbis Abrahæ. Quis autem neget, eum secundum carnem ibi fuisse? Ergo secundum animam ibi non fuit. Vnde & illud consequitur, animam Christi (vt Augustinus perhibet) non esse ex traduce præuaricationis Adæ. Et quia decimatio Leui facta est in lumbis Abrahæ, quòd ibi fuerit secundum corpus & animam: Christi verò decimatio facta non est, quia ibi non nisi secundùm corpus fuit: ideo consequens est, vt concludatur,*

cludatur, filios naturali ordine à parentibus pregnatos, in lumbis parentum corpore & anima esse, vt, non sit mirum, si isti concludant, animas cum corporibus pariter in vtero parentum suam sumere originem.

Rationes aliæ, quibus hæc thesis confirmatur. II.

Prima ratio.

Si in homine vna eademq; est anima, secundum substantiam, intellectiua, sensitiua, & negatiua: sequitur, animam intellectiuam æquè educi ex potentia materiæ, ac educitur sensitiua & negatiua.

Sed anima sensitiua, vegetatiua, & intellectiua, vna eademq; est in homine substantia.

Ergò quemadmodum sensitiua & vegetatiua educuntur de potentia materiæ: ita & intellectiua.

Connexum sua lucet luce. Quorum enim vna est eademq; substantia: vna sit & conceptio, vnus ortus, oportet. Conceptio autem sensitiuæ & vegetatiuæ facultatis in vtero, sumit originem per vim seminalem: vnde rectè ait Philosophus, in lib. de Gener. animalium: non simul fieri animal & hominem, sed priùs animal, habens animam sensitiuam,

Secunda ratio.

Si vnum & idem agens est, cuius actio terminatur ad formam & materiam; &, si anima rationalis, forma est corporis: sequitur animam rationalem educi ex potentia materiæ.

Sed vnum & idem agens est, cuius actio terminatur ad materiam & formam: & simul anima rationalis forma est corporis.

Quare anima rationalis educitur ex potentia materiæ.

Connexum patet, quia, si parentis natura, quæ agit in generatione filij, suam actionem potest extendere ad materiam & formam filij geniti: & si anima, forma est filij: sequi necesse est, parentis actionem ad animam & corpus pariter terminari.

Et cum actio parentis fiat per virtutem seminis: per eandem virtutem, anima simul & corpus seminatur. Cum enim parens vnum sit in generatione agens, cuius actio terminatur ad materiam & formam: non est necesse, vt aliud agens superueniat, quod in generatione suam actionem interponat.

Minor probatur: Quia, si non vnum esset agens, cuius actio ad materiam & formam simul extenderetur: non fieret ex materia et forma vnum simpliciter, quod tamen falsum est.

Tertia ratio.

Omnis

Omnis forma materialis educitur ex potentia materiæ,

Sed anima est forma materialis

Ergò educitur ex potentia materiæ.

Consequentia argumenti huius nota est, cum maiori. Minor probatur, primò Aristotelis testimonio, lib. 2. de Anima. Illud enim, quo aliquid primò operatur (quod est ratio formæ materialis) est forma eius. Sed intellectus est, quo homo intelligit. Quare intellectus est forma hominis materialis.

Deinde illud quo homo distinguitur ab omnibus alijs, est forma eius. Sed intellectu distinguitur ab omnibus. Ergo &c.

Adde quod ea est forma hominis, per quam homo speciem sortitur, Sed per animam sortitur speciem. Per illud etenim sortitur homo speciem, quod est principium operationis, conuenientis homini, vt homo est. Intelligere autem, huiusmodi est operatio, vnde Philosophus lib. 1. Ethic. cap. 9. summam hominis felicitatem in hac operatione, tanquam homini propria collocat. Ex quo patet, principium huiuscemodi operationis, nempe, intellectum, esse id, quo homo speciem sortitur: & per consequens, formam esse hominis, ac proinde ex materia educi.

Vltimò. Si anima esset substantia, à materia separata: tolleretur tota moralis philosophia:

cum tollatur, hominem suarum actionum non esse dominum: Non enim habebit in se principium rationis & voluntatis, quo homo libere solet operari.

Quarta ratio.

Si consentaneum est, à parentibus ita procreari animas & corpora liberorum, quomodo Eua è costa Adæ producta fuit: sequitur, animam liberorum cum corpore à parentibus traduci.

Sed consentaneum est, ita à parentibus animas & corpora natorum procreari, quomodo Eua ex costa Adæ fuit producta.

Ergò animæ liberorum cum corporibus à parentibus transfunduntur.

Connexum hypotheticum firmum est, propter vim comparationis. Neq; enim legimus, seorsim Euæ animam fuisse inspiratam, quemadmodum de Adamo prodit Moses, Gen. 2. versu 7. sed potiùs expressè de tota Eua dicitur versu 22. 23. Costam, quam desumpsit Deus ex Adamo, extruxit in mulierem, quam adduxit ad Adamum, qui dixit: hac vice hæc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Nunc verò, si tota Eua ex Adamo ædificata fuit: multò magis posteritas Adami, quæ ex vtriusq; sexus societate nascitur, tota à lumbis eorum producitur.

Quinta

Quinta ratio.

Si tum corpore, tum ingenio, similes pregenitoribus filij nascuntur: sequitur, animas natorum ab anima parentum, vt corpus à corpore traduci: Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Ex his itaq; ad summam reuocatis, veritas huiusce thesis extra omnem dubitationem collocari videtur.

CAPVT XII.

AN NE ANIMÆ QVOTIDIE A DEO CREentur, & nascentium corporibus infundantur.

PErtractauimus superiori capite eorum sententiam, qui statuunt: animas non secus à parentibus traduci, ac corpora. Consequens est, vt alteram quoq; sententiam cum suis expendamus argumentis. Quamobrem huius capitis thesis hæc esto.

Thesis.

Si anima, vt tota est, consideretur, hoc est, quatenus vegetatiua & sensitiua includuntur in

intellectiua: tota anima extrinsecus aduenit. Si verò sensitiua & vegetatiua seorsim ab intellectiua considerentur, sensitiua & vegetatiua ex potentia materiæ per vim seminalem educitur: sola autem intellectiua à Deo nascentium corporibus infusa, extrinsecus aduenit.

Thesis hæc explicanda primùm est, deinde confirmanda.

Tres itaq; sunt potissimæ eius partes:

Vna est, animam totam cum suis facultatibus consideratam, extrinsecus aduenire. Rationem huius partis assignat Arist. lib. 1. de Anima. Censet enim, quòd quemadmodum in figuris id quod est prius, est potentia in eo, quod est consequenter: ita fiat etiam in animatis. Sicut enim in tetragono trigonum continetur: ita docet, animam vegetatiuam in sensitiua, & sensitiuam in intellectiua contineri. Ex quibus apparet, dupliciter animam posse considerari. Primò, vt tota est cum omnibus suis facultatibus: puta, vegetatiua, sensitiua & intellectiua. Deinde, secundum suas facultates, cum videlicet, sensitiua, & vegetatiua, seorsim ab intellectiua facultate considerantur.

Nunc verò prima pars thesis habet, totam animam cum omnibus facultatibus consideratam, extrinsecus aduenire. Ratio est in promptu, quia intellectiua extrinsecus aduenit, in qua continen-

tur

tur vegetatiua & sensitiua, ceu trigonum in tetragone.

Secunda pars thesis hæc est: Animam sensitiuam, & vegetatiuam seorsim ab intellectiua facultate consideratam, ex potentia materiæ per vim seminalem traduci, ac proinde cum eodem corpore dissolui. Huius partis veritas clara est:

Primò, quia expressè docet Moses, Gen. 1. ver. 24. Omnium animantium, quæ viuunt vegetatiua duntaxat, & sensitiua anima, productionem, terræ et aquæ esse mandatam: vnde colligimus, sensitiuam & vegetatiuam animam cum corporibus seri.

Secundò: Deus per Mosen sanguinis esum prohibens, Leuit. 17. vers. 14. hanc adscribit rationem, quòd sanguis cuiuslibet carnis anima sit: quo ipso clarè docet, animam vegetatiuam & sensitiuam sanguini immersam esse, & inde originem sumere.

Tertiò: Ita se habet (vt ait Thomas) virtus, quæ est in semine ad animalia, quæ ex semine generantur: sicut se habet virtus, quæ est in elementis mundi, ad animalia, quæ ex elementis mundi producuntur, aut ex putrefactione generantur. Sed in huiusmodi animalibus animæ producuntur ex virtute, quæ est in elementis. Tom. 1. Quæst. 11. Art. 1.

Ergò & animæ eorum, quæ merè producuntur ex semine, oriuntur ex potentia seminis.

Quartò, Ea forma (vt Caietanus annotat) quæ

non per se est, sed tantum quatenus inest composito: fit semper ad generationem compositi, & per consequens ab agente corporeo.

Sed anima sensitiua est huiusmodi forma.

Ergò fit ab agente corporeo in generatione compositi.

Maioris prior pars liquet, quia fieri alicui conuenit eo modo, quo & esse. Altera pars quoq; vera est, quia vnumquodq; oportet fieri à simili. Quamobrem probato hoc axiomate, quòd scilicet anima sensitiua fit ab agente corporeo, quia compositum oportet à simili fieri: satis probatum esse credo, quòd anima sensitiua fiat ab animali per vim seminis.

Tertia pars thesis, in qua totius controuersiæ status positus est habet: Animam intellectiuam seorsim ab alijs facultatibus consideratam, solam à Deo creari, & extrinsecus in corpora nascentium infundi, hoc est, neq; causari ab anima generantis principaliter, neq; à calore vel semine instrumentaliter, sed à solo Deo creari, & corporibus in vtero formatis infundi.

Hæc pars thesis duplici conceptione constat, Negatiua & Affirmatiua: ideo duplex quoq; in ea requiritur ordo argumentorum. Ac primò negatiuam partem, quòd scilicet anima intellectiua non causetur principaliter ab agente corporeo, neq; instrumentaliter à calore naturali vel semine

semine, triplici argumentorum ordine solent confirmare.

Primus desumitur ex scripturæ sacræ testimonijs.

Secundus à rationibus lumine humani ingenij extructis.

Tertius ab enumeratione absurdorum, quæ ex contraria sequerentur opinione.

De primo Argumentorum ordine, quæ ex Scripturæ testimonijs desumuntur.

Locus primus.

Exod. 21. vers. 22. Si quis percusserit mulierem, vterum gerentem, & abortierit, si fœtus formatus fuerit, mulctetur pecunia.

Ex hoc loco scripturæ sequentem conficio conclusionem.

Si fœtus in vtero materno, quarto & quadragesimo die vitalis esse incipit, ac sentire: & si anima rationalis primis quadraginta quinq; diebus non inest fœtui: anima rationalis non educitur ex potentia materiæ.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum sua luce lucet. Nam si in ipsa conceptione fœtus, anima à parentibus non

non traducitur, sed longo post tempore infunditur: sequitur vtiq; animam cum corpore à parentibus non traduci.

Minor expressis Moysis verbis confirmatur, quorum sententiam vt facilius expendamus, rudimenta humanæ formationis describenda nobis sunt. Hippocrates (teste Lemnio lib. 1. de occultis naturæ miraculis cap. 11.) in libro de natura fœtus, sic ad viuum exprimit formationis fœtus rudimenta:

Si, inquit, marem (fœminis enim quarum natura magis est flaccida, vlterius porrigitur tempus formationis) trigesimo die perfici contingat, motum accipit sexagesimo, mensequ; septimo in lucem prodit. Quòd si quinto & trigesimo formam acceperit, motu potitur septuagesimo, mensequ; 8. nascendi primordia accipit. Si verò die 45. legitimam formam adeptus fuerit, nonagesimo die mouetur, ac nono mense natiuitatem consequitur. Porrò cui quinquagesimo die forma absoluitur, centesimo moueri incipit, ac decimo mense eluctatur. His Hippocratis verbis suam sententiam subscribit Lemnius, qua aperit, quo tempore infantis effigies perficiatur, & vitalis reddatur. Primis, inquit, sex diebus in oui speciem semina conglobantur, lactisq; cremorem referunt, ac fibræ quædam tenuissimo contextu, telis aranearum non absimiles producuntur. Deinde subsequentibus nouem diebus, sanguinem & spiritum submininistrant acetabula, ac

venæ

venæ vmbilicares : ex quo primùm effigiantur membra organica, quæq; nutritioni sunt accomodata, vtpote hepar, cor, splen, pulmones, cerebrum, quæ à primo conceptus momento ad decimũ octauum diem perficiuntur. Postmodum, ad quartum & quadragesimum diem cæteræ partes conformãtur, fœtusq; vitalis esse, ac sentire incipit : licet ob imbecillitatem aut non moueatur, aut tanta debilitate, vt gestans id sentire nequeat. Hoc itaq; tempore anima rationalis vterum subire creditur, ac naturales facultates seu potentias sua vi imbuere, totumq; officium perficere. Hactenus Lemnius, qui procul dubio pleraq; horum à Marsilio mutuatus esse videtur, qui totidem penè verbis lib. 18. Theologiæ Platonicæ cap. 6. hæc expressit : Postq; inquit, in aluo mulieris ipsum semen, quod à toto viri corpore ante defluxerat, traxeratq; secum formatricẽ vim ab anima viri, per hanc ipsam vim diebus circiter quinq; & quadraginta sic est affectũ, vt sex primis diebus lac euaserit, nouem sequentibus sanguis, duodecim alijs caro, decem et octo reliquis fuerit figuratum, tunc anima creatur & infunditur corpori. Hoc nempe illud est quod perhibet Aristoteles lib. 1. de Anima, hominem primùm vitam plantæ, deinde animalis, postea hominis viuere. His omnibus accedunt verba Moysis, quorum sensus expræditus facilè potest elici. Cur enim si primis quadraginta quinq; diebus mulierem prægnantem, aliquis percutiat [C]ita vt abortiat, mulcta

Marsilius Fimius.

multæ tantùm pœnæ afficitur ? nimirum quia fœtui nondum inest anima, neq; propriè hominis nomen meretur. Quod si verò post quadraginta quinq; illos dies, cùm scilicet anima infunditur, percußio contingat : animam dare pro anima cogetur percussor. Quæ vtiq; lex euincit, animam non ineſſe fœtui in conceptione, neq; à parentibus per traducem propagari.

Locus ſecundus.

Gen. 2. verſ. 22. Coſtam illam, quam deſumpſerat Deus ex Adamo, poſtquam in mulierem extruxit, & ad Adamum duxit, ſic Adamus verbis excepit : Hæc eſt os ex oßibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia ex viro deſumpta eſt.

Ex hoc loco ſequentem conficio concluſionem.

Si Deus ex Adamo ſolam duntaxat oßium & carnis materiam deſumpſit, ex qua mulierem formauit, animam verò ipſe ex nihilo creatam illi infudit, &, ſi Adam agnitam ſuam carnem os ſolùm ex oßibus, & carnem de carne, non autem animam de anima vocat : credibile eſt, etiamnum ſolum corpus ex parentibus deſumi animam verò extrinſecus aduenire.

Sed antecedens verum eſt.

Verum igitur & conſequens.

Connexum

Connexum hypotheticum duplicem habet rationem euidentiæ. Prior est, quòd Deus solam Adami costam abstulisse dicitur, ex qua finxit mulierem: non autem animam.

Altera est, quòd Adam mulierem ex ossibus suis creatam, os duntaxat ex ossibus, & carnem de carne vocat. Quantò autem (vt ait Augustinus) dixisset libentius animam de anima sua, si anima mulieris ex anima Adami traducta fuisset.

Cùm itaq; prima hæc primorum parentum formatio, exemplum quoddam sit, ex quo intelligi possit posterorum formatio: colligimus, animas non ex traduce oriri.

Minor expressis Moysis verbis confirmatur.

Locus tertius.

Luc. 24. vers. 39. ait Christus: Spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.

Ex hoc scripturæ loco sequens conficitur conclusio.

Si fluxus, tradux, propagatio, & sexus, propria sunt carnis παθήματα, non autem spirituum, &, si anima hominis nec carnem, nec ossa, nullas denique passiones corporis habet: non propagatur ex traduce per vim seminalem.

Sed antecedens verum est.

Verum itaq; esse & consequens, necesse est.

Connexum hypotheticum per se clarum est.

Assumptum totum ex verbis Christi fidem sibi facit, quorum hic sensus est: spirituales substantias (qualis est anima) nullas habere passiones & proprietates corporis. Et cùm Damascenus lib. 2. cap. 12. de fide Orthodoxa testetur: fluxus, traducem, propagationem, & sexum solius corporis, non autem spirituum esse πάθημα & proprietates: consequi videtur, animam per traducem seminalem non posse propagari,

Animæ sexu carent.

Huc pertinet & illud Christi dictum, Matth. 19. vers. 4. ex Mose Gen. 1. vers. 14. desumptum, vbi sexum ad homines, corpore duntaxat naturali præditos restrinxit, quem in spirituales substantias minimè competere, Lucæ 20. vers. 35. 36. idem Christus docet. Qua de re videatur August. Lib. 1. de Origine animæ cap. 18. & Cyrillus Cathechesi secunda. Quamobrem turpiter errauit Apelles, qui (teste Tertull. lib. de Anima) animæ sexum tribuebat. Athenagoras Philosophus Christianus in lib. de Resur. mortuorum, scitè docet: præceptum (verba eius sunt) honora patrem & matrem animabus minimè competere, cùm ad eas istiusmodi nomina non pertineant: non enim anima animam gignit, vt inde sibi vendicet nomen parentis, sed homo hominem. Ibidem mox:

Athenagoras de resurrecti. mort.

Non pertinet ad animas præceptum, ne adulterium facias; cùm ipsis non sit masculini aut fœminini

fœminini sexus vllum discerniculum, aut coitum aptitudo, aut coëundi appetitus: ac vbi appetitus ille non fit, coitum vllum fieri, impossibile est.

Augustin. Quæst. Veter. & Noui Test. cap. 23. quærit, an ex traduce sint animæ, sicuti corpora? Respondet: Inhonestum puto si dicatur, animam cum corporibus generari, vt anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit: aut si certè singulæ cœlestes facultates factæ sunt, & ex ipsis cæteræ natæ sunt, potest ex vna Adæ anima credibile videri, cæteras nasci. Sed non conuenit, quia soli Deo hoc possibile fuit, vt simplex generaret, nec creaturis conceditur.

Ambrosius. Inhonestum puto, animas cum corporibus generari, vt anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit.

Locus quartus.

Sap. 3. vers. 1. Iustorum animæ sunt in manu Dei, & non tangit eas tormentum.

Ex hoc scripturæ loco talem conficio conclusionem.

Si anima rationalis ex traduce per vim seminalem oritur: materialis & corporea sit necesse est, ac proinde etiam dissolubilis & mortalis:

Sed anima rationalis, ἀμέριστος, incorporalis, & indissolubilis est.

Ergò nõ oritur ex corporali semine cũ corpore.

Connexi hypothetici euidens est ratio, à natura rerum corporearum & materialium petita. Quicquid enim corporeum, & materiale est, corruptioni & dissolutioni subiacet necessariò. Et hoc est, quod ait Hieronymus in Apolog. aduersus Rufin. Si anima cœpit ex traduce: humanarum igitur animarum, quas æternas fatemur, & brutorum animantium, quæ cum corpore dissoluuntur, vna conditio est. Ideo enim brutorum animæ interitui subiacent, quia ex potentia seminis, & materia carnis educuntur.

Augustinus apud Hieronymum in Dialogo de Orig. Anim. ait, Qui animas ex vna propagari asserunt, quam Deus homini primo dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt: si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo peruersius quid potest dici?

Hieron. in Dialogo de orig. animæ.

Hieronymus de Origine animæ: Si anima eandem cum corporibus originem sumit: simul cum corporibus corrumpatur necesse est.

Thomus Aquinas Tom. 1. Summæ, Quæst. 118. art. 2. ait, hæreticum esse, fateri, animam ex traduce oriri, quod hac conclusione colligit: ponere animam intellectiuam à generante causari, nihil

est

est aliud, quàm ponere eam non esse subsistentem: & per consequens, corrumpi eam cum corpore. Et ideo hæreticum est, dicere, quòd anima intellectiua traducatur cum semine.

Assumptum expresso scripturæ loco comprobatur.

Et hactenus de primo ordine argumentorum à scripturæ testimonijs ductorum: nunc ad secundum ordinem transibo.

Secundus ordo argumentorum II.
à ratione humani ingenij petitorum.

Prima ratio, à conditione seminis.

Virtus materialis non potest terminare actionem suam ad effectum immaterialem. Sed virtus seminis est materialis: anima verò intellectiua est immaterialis.

Ergò animam intellectiuam, materialis seminis virtus non potest producere.

Maior manifesta est: Minor autem ex eo liquet, quòd anima intellectiua habeat propriam operationem, cum qua non communicat corpus. Nec obstat, quod obijcitur: semen posse virtute principalis agentis immaterialis, hoc est animæ

parentis, producere animam immateriale, etiamsi ipsum sit materiale: quia semen non simpliciter agit virtute agentis immaterialis, sed tantum quatenus agens immateriale est corporis organici forma. Distinguitur autem anima intellectiua à seipsa, quatenus est actus corporis, seu forma substantialis: & quatenus non est corporis actus, verùm longè illud excedit.

Tenendum enim semper est, dupliciter animam in corpore posse considerari: Vno modo in relatione ad corpus, quatenus nimirum actus est corporis organici, & forma corpus actuans: & hactenus est principium actionum, pertinentium duntaxat ad partem sensitiuam, & vegetatiuam.

Altero modo, consideratur absolutè in seipsa, & hoc modo est principium actionum omnium, pertinentium ad intellectum. Nunc verò cum seminatio, & generatio exerceatur per corporea organa, sintq; operationes omnes & functiones animæ sensitiuæ: sequitur generationem & seminationem conuenire animæ, in quantum est actus corporis, hoc est, facultati sensitiuæ & vegetatiuæ: non autem in quantum est forma excedens corpus. Hæc est causa, quòd Aristoteles in libro de Gener. Anima: rectè concluserit, animam intellectiuam solam de foris aduenire.

Secunda ratio, ex prima emergit.

Virtus

Virtus seminis agit in vi animæ generantis, prout anima vtitur tantùm corporeo organo.

Sed intellectiua anima non vtitur corporeo organo, verùm propriam habet operationem & reflexionem.

Ergò cum semen vi animæ intellectiuæ agere non posit, non potest producere animam intellectiuam.

Consequentia patet: quia intellectus non est alligatus ad corporea organa, vt sine eis operationes suas perficere non posset.

Tertia ratio.

Si anima oritur ex traduce: aut originem sumit ex patre, aut ex matre, aut ex vtroq;: Si ex patre, vnde anima in Christo? Si ex matre: cur Deus mulierem ex viro potiùs formare, & non è contrario voluit, vt interea omittam generationem non per virum & fœminam fieri, contra Dei institutum, crescite & multiplicamini.

Si verò ex vtroq; producitur: eodem quo priùs impingemus: Neq; enim Christus patrem habuit.

Sequitur ergo, non propagari ex parentibus animas natorum.

Cæterum (vt hoc obiter moneam) disputat Augustinus Epist. 99. ad Euod. an anima Christi sit

de traduce. In qua quæstione etsi subdubitare videtur in hac epistola: tamen Tom. 3. lib. 10. de Genes. ad liter. cap. 18. in eam descendit sententiam, animam Christi non esse ex traduce, quod ipsum loco scripturæ ex Epistola ad Hebræos desumpto prolixè probat. Quæ probatio, si locum habet: conficitur, animas quoq; nostras non esse ex traduce, quia Christus frater noster est, similis nobis in omni, excepto peccato.

Lactantius De opif. Dei cap. 19.

Huc pertinet illud Lactantij Lib. de Opificio Dei cap. 19. Illud quoq; inquit, venire in quæstionem potest, vtrum anima ex patre, an potius ex matre, an verò ex vtroq; generetur. Sed ego id meo iure ab ancipiti vendico, Nihil enim ex his tribus verum est, quia neq; ex vtroq;, neque ex alterutro seruntur animæ corporibus. Corpus enim ex corpore nasci potest, quoniam confertur aliquid ex vtroq;: de anima, anima non potest, quia ex re tenui & incomprehensibili nihil potest decedere.

Quarta ratio.

Si anima per traducem ex parentum animabus transfunditur: aut transfunditur tota parentum anima, aut pars, seu portio.

Tota non potest transfundi, tum quia quot fœtuum conceptus fierent, tot parentum mortes seque-

sequerentur: tum deniq; quia si tota parentum anima transiret, in vno fœtu duæ numero existerent animæ. Neq; pars vlla potest transfundi:

1. Quia substantia spiritualis, vt est anima, planè ἀμέρες est, neq; vllo modo diuidi potest.

2. Quia, vt ait Lactantius, ex tenui & incomprehensibili substantia nihil potest decidi. Lactantius de opif. Dei cap. 19.

3. Quia vt ait Augustinus Epist. 157. ad Optatum: mirum est, si vllus sensus comprehendat, quonam modo tanquam lucerna de lucerna, ita anima ex anima accendatur, & sine detrimento alterius alter inde ignis existat. Quòd enim lucerna de lucerna potest accendi, id fit propterea, quia lucerna non est substantia simplex, neq; ἀμέρες: anima verò prorsus ἀμέρες est, neq; vlla ratione diuidi potest. Quod verò lumen de lumine accensum integrum sit, integro etiam lumine remanente: id fit propter materiam, cui lumen vtrumq; tanquam pabulo est immersum. Atqui anima quatenus est intellectiua, corporali materiæ nequaquam (vt Philonis verbis vtar) est immersa, sed ipsa per se existens forma est. Quamobrem quod à similitudine luminis contraria pars adferre solet, totum claudicat.

Et per vim consequentiæ, sequitur: animam non posse traduci ex parentibus in filios.

Adde quarto loco, quòd si ex parentum anima filiorum animæ transfunderentur: longè antè deficeret anima parentum, quàm vt omnibus natis animas ex sua impertiri possent, cum viginti & amplius interdum ex vno parente nascãtur liberi. Extat in historia Flandriæ memorabile exemplum, vbi legimus, Duciſſam quandam Elizabetham nomine, tot vno partu fœtus edidisse, quot in anno sunt dies, hoc est 365. qui simul à quodam presbytero in pelui repositi, baptizati sunt viui. Quis hic credat, animam matris potuisse sufficere his omnibus natis? Quare rectè dixit Augustinus cap. 11. de spiritu & anima: Spiritum esse animam rationalem, quæ quantùslibet obruatur malis, vbicunq; est, tota est: non traducitur à parente in filium, nec vna fit anima amborum. Nec pars animæ patris in filium degeneratur, Parturi namq; seu diuidi, augeri vel minui pro substantia sua spiritus nescit: Non enim potest esse maior, sed melior. Si enim particulariter transfunderetur, corporeus esse probaretur.

Hactenus author libri de spiritu & anima.

Quinta ratio.

Si non vna est anima parentum & filiorum, neq;

neq; tota parentis anima in filium transfunditur, non fiunt animæ ex traduce.

Sed parentum & filiorum non est vno numero anima, nec tota parentum anima transit in filios.

Ergo animæ non propagantur ex traduce.

Connexum huius syllogismi hypothetici pendet à distinctione animæ parentis, & filiorum. Apertè enim Deus inter animam parentis & filiorum distinguit, ac vtriusq; procreationem sibi vendicat Ezech. 18. vers. 4. En omnes animæ meæ sunt, æquè anima patris, atq; anima filij meæ sunt. Iam verò si tota parentis anima traduceretur in filium, aut saltem à parentibus in filios transfunderetur: nullum profectò huiusmodi distinctio locum habere posset.

Ratio sexta.

Thomas Aquinas Summæ, Quæstione 118. Art: 2. ait: Cum anima sit immaterialis, immortalis, & per se subsistens substantia: debetur sibi esse & fieri, non per generationem, sed per creationem.

Ex his verbis talis conficitur apud Grinæum in disput. Theol. fol. 168. Arg. 3.

conclusio.

Essentia intelligens & immortalis dignior est, quam vt ex potentia atq; facultate materiæ possit elici.

Sed

Sed anima humana est substantia intelligens, immortalis.

Ergò superat sua dignitate materiam, neq; ex ea educi potest.

Connexum huius syllogismi euidens est: Primò quia anima tanta excellit dignitate, vt non solum noticiæ naturales ei sint insitæ, sed etiam apta nata sit ad apprehensionem notitiæ supernaturalis, Vnde Pythagoras cecinit: Ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα: id est, Tu autem confide, quoniam diuinum genus est hominibus, quibus sacra natura proferenda in lucem omnia monstrat. Nulla autem elementaris materia, imò ne ipsa quidem elementa, habent insitas notitias. Quare nulla materia potest animam rationalem producere.

Deindè, Anima cùm sit substantia per se subsistens & immortalis, debetur ei (vt Thomas ait) vt per creationem, non per generationem producatur. Ratio est in promptu, quia omnis generatio fit inter subiectum suppositum, & formam: & per consequens, procedit ad compositum. Nullum autem compositum subsistit perpetuò, quia nihil verè subsistit, nisi sit simplex. Atqui anima verè subsistit, quia esse non desinit: non ergò propagari potest per generationem.

Septi-

Septima ratio,

Si anima rationalis duplicem in corpore habet motum, organicum et inorganicum siue reflexum: non educitur ex materiæ potentia.

Sed anima rationalis duplici omninò motu pollet in corpore: Ergo non potest educi ex potentia materiæ.

Explico syllogismum, & simul probo minorem. Sciendum itaq; est, animam rationalem triplicem in vniuersum habere motum: duos in corporis coniunctione, vnum extra corpus.

In corpore, prior animæ motus organicus est, quando scilicet, anima ad perficiendam operationem, organis corporeis vtitur. Cum enim omnia nudo intellectu, solaq; per se mente, percipere non possit: ad sensus fugiat corporeos, necesse est, quorum ministerio, ex sensualibus faciat intelligibilia. In hoc motu eget anima ministerio sensuum, & præsertim phantasiæ. Vnde natum est axioma: Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Item, Oportet intelligentem phantasmata speculari.

Alter animæ motus inorganicus est, quando, scilicet, anima actus habet reflexos, in ipsa animæ essentia fundatos. Tunc enim à se ipsa mouetur, emergens (vt Philo ait) è tota mole corporis, & è turba sensuum profugiens. Hoc motu intelligibilia

bilia tantum apprehendit, idq; triplici operatione. Ac in prima, & secunda sine tempore momento intelligit, tam singularia, quam vniuersalia, numerat deniq;. In tertia autem operatione, quæ fit tempore, ratiocinatur, & discurrit.

Cæterùm non sic dico intellectum in hac operatione à corpore abstractum, quasi non sit in corpore: Cùm enim sit accidens corporis, non potest esse extra corpus: sed quia hoc pacto non est alicuius corporeæ partis actus, sicut aliæ facultates animæ, quæ sunt affixæ corporeis animis. Intellectus .n. immediatè fundatur in essentia animæ, & nulli determinato organo est affixus. Sed ipsa per se in seipsam reflectitur: idq; efficit modis quatuor.

Primò reflectitur per intellectum in naturam suam, quando sine organo, quærit, inuenit, considerat q; seipsam.

Secundò per voluntatem in naturam eandem, quando se affectat, & amat.

Tertiò per intellectum in actum ipsum intelligendi, quando & rem intelligit, & se intelligit intelligere.

Vltimò per voluntatem in voluntatis actum, quando & vult aliquid, & vult se velle.

Hos quatuor modos Plato rotas vocat, quibus currus animæ vehitur. His etenim quator modis solet sine organis in se reflecti. Huiusmodi autem conuersio, siue reflexio non est à corpore ad animam

mam, sed ab ipsa anima in ipsam animam. Quapropter tota hæc reflexio à corpore libera est, cum neq; exordiatur ab ipso, neq; ad ipsum regrediatur. Et quia hæc animæ reflexio libera est à corpore: multò magis ipsa animæ substantia liberæ est à corpore. Si enim reflexio, quæ animæ duntaxat motus est, libera est à corpore: cur non ipsa essentia animæ magis esset libera? Ex quibus consequitur, animam in essentia sua, nullo modo pendere à corpore: deinde animam rationalem esse nobiliorem, quacunq; alia forma existente in materia. Et quia inter formas hic ordo statuitur, vt quanto forma est nobilior, tanto magis corporali materiæ dominetur, & magis sua virtute illam excedat: sequitur, animam rationalem totaliter corpoream naturam excedere. De hoc animæ motu scribit Athanasius in Orat: contra Idola. Cum, inquit: anima corpus ingressa, non ad corporis exiguitatem contrahitur, sed sæpè corpore in lecto iacente sine omni motu, ipsa suis viribus excubat, transgrediturq; corporis conditionem, & tanq; peregrè ab eo discedens, manens tamen interim in corpore, quæ supra terram sunt, imaginatur, & spectat. Tertium animæ motum diximus esse extra corpus, quo motu viuit anima à corpore separata, de qua ait Athan. contra Idola, motum animæ vitam esse. Hoc motu dicuntur animæ Canticum nouum in cœlis cecinisse. Apoc. 5.

Ac in

Ac in summa, Sicut ignis duplici motu mouetur, naturali sursum, & præternaturali, cùm ad motum primi mobilis in circulum rapitur: Ita anima dum est in corpore, etsi plerumq; organico vtatur motu, habet tamen & alium inorganicum, quem sua propria ἐνεργείᾳ extra corpus perficit. Quod ipsum clarissimè euincit, animam de potentia seminis non traduci.

Octaua Ratio.

Si anima rationalis quoties aliqua sibi res occurrit, non perscrutatur duntaxat propinquam causam, sed inquirit causæ causam, ita vt non prius quiescat, quàm supremam causam fuerit consecuta: non educitur de potentia materiæ, sed potius à prima illa & suprema causa infunditur.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum cohæret: Vnaquæq; enim res in proprio suo fine quiescit, Proprius autem rei finis est, eius causa propria: Ibi enim perficitur. Perfectionem verò naturalem appetunt omnia, tanquam finem. Nunc vero anima rationalis quoties aliqua sibi occurrit res, perscrutatur non modò quid res sit, & qualis: sed etiam quæ sit eius origo, neq; cessat vnquam, nisi causam eius inuenerit. Quin potius non in quauis causa sistit gradum, sed inquirit causæ causam, ita vt non

non prius quiescat, quam supremam causam fuerit consecuta. Quorsum hæc? Vt intelligas, rem quamlibet solum cum propriam attigerit causam, quiescere protinus, neq; vltra perquirere, atq; ideo animam, quæ in re nulla quiescit, nisi in Deo, nullam habere propriam causam, nisi Deum.

Minor, quæ habet, animam non satiari nisi ea, nisi primam causam nempe Deum attingat, probatur his rationibus.

Prima ducitur ex parte intellectus, qui sine medio in Deū conuertitur, vnde cecinit Zoroastres: χρὴ σε ἀνιδεῖν πρὸς τὸ φάος, καὶ πρὸς πατρὸς ἀϊγὰς, ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχὴ πολλὺν ἑοῦσα μύθον νόον. *Ascendendum tibi est ad lumen ipsum, & patrios radios, Vnde, infusa est tibi anima, multo mentis lumine circumfusa.*

Secunda: ex parte voluntatis: Omnis appetitus, causæ suæ impletur possessione. Sed voluntas solius infiniti boni, qui Deus est, possessione potest impleri.

Ergò voluntatis, quæ pars est animæ rationalis, causa, Deus est, neque causatur ex semine.

Tertia ratio: ab vtraq; rationis facultate sumpta: Si voluntas eousq; affectat bonum, quousq; intellectus offert: &, si intellectus offert

intellectus offert : &, si intellectus offert infinitum bonum : sequitur, vt illud bonum voluntas affectet.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Quarta : Si vt obiectum intellectus est ens ipsum, sub ratione veri : ita voluntatis obiectum est ens ipsum, sub ratione boni : &, si vnaquæq; vis eo solo contenta esse potest, in quo integra obiecti sui ratio reperitur : sequitur, integrum obiectum tam voluntatis, quam intellectus vsq; ad Deum extendi, qui perfecta est veritas, & perfectum bonum.

Sed antecedens verum est

Verum igitur & consequens.

Ex his itaq; patet, animam rationalem non causari à semine : sed à solo Deo, in quo animæ desiderium sistit.

Nona ratio.

Si nullus effectus sese extendit vltra suam causam : &, si anima sese extendit vltra corpus, imò rem quamlibet finitam transgreditur : sequitur, animam non causari ex corpore.

Sed antecedens verum est

Verum igitur & consequens.

Connexum lucet sua luce. Assumptum probatur, Quia quodcunq; bonum & verum obtuleris

ris animæ: intellectus tamen magis intelligere potest, & voluntas alterius affectare.

Quare nulla finita res potest esse causa animæ.

Decima ratio.

Causa motorá, particularis, virtutem, inclinationemq, ad vniuersale tendentem, non potest producere.

Sed semen, & omne in summa quicquid est creatum duntaxat, aut verum est, aut bonum particulare: Intellectus verò virtus se se extendit ad vniuersale verum, sicuti voluntas ad vniuersale bonum.

Eapropter consequitur, neq; semen neq; vllam rem creatam, posse ex se producere animam rationalem, cuius duæ sunt facultates, Intellectus & voluntas.

Vltima ratio.

Cuicunq; rei in creatis hæc duo possunt attribui, subsistentia & simplicitas: necesse est, vt per creationem, non per generationem producatur.

Sed animæ hæc duo iure possunt attribui.

Ergò anima sit per creationem non per generationem.

Et hactenus de secundo argumentorum ordine.

III. *Tertius ordo argumentorum, habentium absurda contraria sententiæ.*

Augustinus Epist. 157. ad Optatum, multis absurdis, & inconuenientijs ostendit, non propagari animas per traducem.

Primum absurdum: Si anima ex seminali virtute propagatur, carnalem esse animam necesse est.

Hoc absurdum ex his Augustini verbis colligo.

Illi, inquit, qui animas ex vna propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atq; ita eas ex parentibus trahi dicunt: si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendant, & ex corpulentis seminibus exoriri: quo peruersius quid dici potest?

Secundum absurdum: Si anima fit ex traduce, per virtutem seminalem: quia multa semina parentum inita profluunt, toties animas interire necesse est, quoties hoc accidit.

Hoc absurdum ex his Augustini verbis colligo. Cum autem fluant irrita, sine vllis conceptibus semina: vtrum semen animæ non simul exeat: an summa celeritate atq; atomo temporis, vnde exierat recurrat: an pereat? Et si pereat, quomodo ipsi cuius mortale semen est, immortalis est anima?

Tertium

Tertium absurdum ex Augustino. Mirum est, inquit, si vllus sensus humanus comprehendit, quonam modo tanquam lucerna de lucerna accendatur, & sine detrimento alterius alter inde ignis existat: sic anima de anima parentis fiat in prole, & traducatur in prolem.

Vltima absurditas: Nullum extat in rerum natura exemplum, incorpoream rem posse ex corporea nasci, aut transmutari.

Quare absurdum est, animam ex corporali semine fieri.

Hactenus de tribus argumentorum ordinibus dixi, qui partem negatiuam huius thesis confirmant, nunc colligo aliquot patrum in hanc sententiam testimonia.

Testimonia Patrum pro parte negatiua huius thesis. IIII.

Augustinus, siue quis alius est author dialogi de animæ origine, inquit, animas ex vna propagari asserunt, & non in corpora iuxta exemplum primi hominis à Deo quotidie fieri: anathema sint.

Idem de Spiritu & anima: cap. 41. Caro de de carne generando traducitur: sed spiritus de spiritu minimè propagatur.

Hieronymus in caput 12. Eccleſiast. Ridendi,

inquit, sunt, qui animas putant cum corporibus seri, & non à Deo, sed à corporum parentibus generari.

Cusanus lib. 2. de Concordia Cathol. cap. 19. Anima secundum eius motiuam & sensitiuam partem considerata, educitur de potentia materiæ: secundum autem rationalem eius partem considerata, à Deo est.

Et hactenus de prima parte huius thesis: nunc sequitur pars affirmatiua.

Thesis partis affirmatiuæ.

Anima rationalis quotidie à Deo creatur, & corporibus nascentium in vtero iam formatis infunditur.

Hæc pars affirmatiua duplici argumentorum ordine comprobatur.

Prior ordo continet testimonia Scripturæ sacræ.

Posterior testimonia veterum patrum.

De primo argumentorum ordine, qui desumitur ex scriptura sacra.

Locus primus.

Fundamenti loco toti huic disputationi substernam verba Christi, Ioh. 5. vers. 17. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si Deus à productione quidem nouarum specierum septimo die requiescens, nihilominus quotidie species creatas propagat & multiplicat, credibile est, animas quoq; quotidie singulis nascentibus singulas infundi.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum per se liquet: Assumptum verò expressis Christi verbis nititur. Cui etsi illud non immeritò obiici posse video, quod Moyses Gen. 2. ver. 2. dicit, Deum septimo die requieuisse ab omnibus operibus suis: facilè tamen ista duo conciliari possunt, si expendamus, quomodo nunc, & quomodo illis sex primis diebus Deus sit operatus. In illis siquidem sex diebus diuersas rerum species condidit, & cùm omnes omnium rerum species protulisset, dicitur die septimo à productione nouarum specierum requieuisse. Interea tamen rectè censet August. Lib. 10. de Genes. ad liter cap. 4. rationem singillatim faciendarum animarum, nascentibus quibusq; dandarum, in seipso Deum habere, non in creatura aliqua condidisse. Non enim alterius generis creatura est anima, quàm illius, secundum quam sexto die factus est homo ad imaginem DEI. Ob id non etiam rectè dicitur, DEVM nunc ea

facere, quæ tunc non consummauit. Iam enim tunc animas fecerat, qualis & nunc facit, & ideo non aliquod nunc genus creaturæ facit, quod tunc in suis consummatis operibus non creauerit: Hæc Augustinus.

Huc spectant & illa eiusdem Augustini verba Epist. 28. ad Hieronymum: A rebus, quæ non erant, instituendis requieuit Deus. & hoc verum est, quod non solum generando quæ fecit, verum etiam non quod nondum, sed quod iam creauerat, numerosius creando vsq; nunc operatur.

Idem de Spiritu & Anima cap. 41. dicimus rationales animas pro essentia fieri quotidiè de nihilo nouas: sed pro simili natura, & institutione diuina non vtiq; nouas. Quales enim in exordio Deus die sexto masculo & fœminæ dedit, tales quotidie inspirat singulis, noua de nihilo creatione, non noua institutione.

Locus secundus.

Iob 10. vers. 9. 10. 11. 12. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt totum: nonne sicut lac mulsisti me, ossibus etiam & neruis compegisti me: Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si ani-

Si animam, vitæ in nobis causam, corpori formato Deus tribuit: & si misericordia Dei spiritum in nobis fingit: Deus est author nostrarum animarum, in corpora formata infusarum.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum totum ex verbis Iobi cohæret, in quibus primùm conceptionem humani corporis elegantissimè descriptam habemus.

Postea subijcit Iob de Origine animæ, cum ait: Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. En vita, hoc est, anima corpori iam formato à Deo tribuitur. Vitam (ait) & misericordiam tribuisti mihi: adiecit vitæ misericordiam. Est enim mirum, in vtero materno fœtum viuere, tot videlicet membranis inuolutum. Exerit ergo se in eo misericordiæ diuinæ beneficium ingens. Sequitur postea per interpretationem; Et visitatio tua, id est, prouidentia, & conseruatio tua, custodiuit siue conseruauit spiritum meum; Nunc enim spiritum vocat id, quod appellauerat prius vitam, id est animam. Hæc Bulingerus in hunc Iobi locum.

Locus tertius.

Iob 33. vers. 4. Spiritus Domini fortis fecit me, & afflatus omnipotentis vitam indidit mihi.

Ex hoc loco sequens conficitur conclusio.

Si Iobi corpus à forti Spiritu Domini FACTVM est: anima vero non FACTA, sed ad exemplum primæ animæ ex spiraculo siue afflatu omnipotentis Dei indita: non vt corpus, ex semine creatur anima, sed per creationem a Deo infunditur.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum lucet sua luce, propter similitudinem creationis animæ Adami & Iobi: Duo siquidem in hoc loco tractat Propheta. Primò se, suumq; corpus virtute diuina, ex semine parentum formatum esse. Deinde discrimen facit inter corporis & animæ formationem. Corpus enim feciſſe Dominum ex semine parentis docet, quod propria verbi Faciendi significatione expreßit. Animam verò non iam amplius per medium seminis ait feciſſe, sed dicit, spiraculo omnipotentis Dei corpus formatum viuificatum fuiſſe. Quomodo quæso? infusione vtiq; animæ, quod optime spiraculi nomine expreßit. Alludit enim Propheta ad illud, quod apud Moysen de creatione animæ legimus, Inflauit, inquiens, Deus in faciem hominis spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Totidem penè verbis hic expreßit Iobus, quod Moyses Gen. 2. verſ. 7. cum ait: spiracalum

siue

siue flatus omnipotentis Dei, ex quo flatu anima mea corpori, vt Adamo, indita est, viuificauit me, seu vt Moyses ait, fecit me in animam viuentem.

Locus quartus.

Psal. 32. vers. 15. Qui, Deus finxit singillatim corda eorum, animaduertens omnia opera eorum.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si Deus singillatim omnibus animas per se singit, & ob id omnes operationes manifestas & occultas animæ probè nouit, non oriuntur animæ ex traduce, sed potius quotidiè à Deo infunduntur.

Sed Deus omnibus hominibus singillatim animas singit. Ergò singillatim omnium hominum animæ à Deo infunduntur.

Connexum hypotheticum manifestum est. Neq; obstat, quòd Propheta cordis & non animæ vtitur nomine. Planum enim est, & præsertim apud eos, qui sedem intellectus cor esse volunt, sæpè pro anima ipsum cor vsurpari: vt hoc loco et Matt. 15. vers. 19. De corde exeunt cogitationes malæ: neq; enim cor per se cogitat, Item Esa. 6. vers. 10. ne intelligant corde &c. Dicit itaq; Propheta, animas singillatim à Deo fingi, hoc est singulis nascentibus singulas à Deo infundi animas, quod ipsum & sequentia verba indicant. Ideo enim subiicit, Deum omnia hominum opera animaduertere, & penitus cognoscere, quia ipse illis indiderit animam per quam omnis perficitur operatio.

Lo-

Locus quintus.

Eccles. 11. vers. 5. Quemadmodum non cognoscis tu, quæ sit via Spiritus, & quæ via ossium in vtero prægnantis: sic nescis opera Dei, qui facit omnia.

Ex hoc scripturæ loco sequens conficitur conclusio.

Si anima ingressus & egressus viam habet, non formatur ex traduce in vtero materno, sed diuinitus infunditur.

Sed anima viam habet licet occultam, quæ ingreditur in corpus in vtero formatum, & exit de corpore corrupto.

Eapropter anima non ex traduce concipitur in vtero, sed extrinsecus à Deo infunditur.

Connexum per se patet: Assumptum expresso scripturæ loco probatur, cuius propositio est: Omnia Dei opera hominem exactè cognoscere non posse. Hanc propositionem duplici argumento comprobat Ecclesiast: Primùm à corpore humano, alterum ab anima sumit.

Ac quod ad corpus attinet, ait: neminem exactè posse cognoscere ossium & venarum varietatem in vtero prægnantis, quomodo scilicet ex vili elemento, & liquido semine, corpus hominis in diuersas effigies artusq; varietur, & de eodem semine alia pars molescat in carnibus, alia durescat in ossibus,

ossibus, alia in venis palpitet, & alia ligetur in neruis. Quòd verò ad animam spectat, ait eam ne dum à nobis perfectè posse cognosci, verùm ne viam quidem illius, qua corpus ingredi solet, perspici. Vbi audis, animæ ingredientis in formatum corpus viam Ecclesiasten tribuere? quod vtiq; feciſſet, ſi in vtero materno cum corpore conciperetur, & non potiùs à Deo creata infunderetur.

Locus sextus.

Eccleſiaſt. 12. verſ. 7. & 10. Abit homo in locum ſeculi ſui, redeunte ipſo puluere in terram, vnde ſumptus eſt, ſpiritu autem redeunte ad Deum, qui dederat illum.

Ex hoc loco ſequentem conficio concluſionem.

Si animæ poſt funera corporum redeunt ad Deum, qui dedit illas: non concipiuntur in vtero parentum, ſed extrinſecus à Deo veniunt.

Sed animæ poſt funera corporum redeunt ad Deum, qui dederat eas.

Eapropter animæ non in vtero matrum concipiuntur, ſed extrinſecus adueniunt à Deo.

Connexum duplici de cauſa firmum eſt. Primò, quia opponit ſapiens originem & terminum corporis atq; animæ. Ita enim ſe habet origo corporis ad corpus, & terminus eiuſdem: vti ſe habet origo animæ ad animam, & ſimul terminus

nus eiusdem. Sed corporis origo inde cæpit, quo etiam terminatur, nempè à terra: Ergo & animæ origo inde cæpit, quo terminari eam sapiens tradit, nempè à Deo. Deinde propria verbi Redeundi, significatio rem totam planam facit. Redeundi etenim vocabulum præsupponit venicndi verbum. Si itaq; venit anima aliunde ad corpus, quia redit vnde venerat, non ergo seminatur in vtero. Redit autem ad Deum, vt hic locus testatur. Quare sequitur, eam à Deo venisse in corpus formatum.

Assumptum expresso scripturæ loco nititur.

Locus septimus.

Sapient. 8. vers. 19. Eram puer bona indole, animaq; bonam SORTITVS eram: Ac potius vt bonus eram, in corpus impollutum veneram.

Ex hoc loco sequens conficitur conclusio.

Si animæ vnicuiq; sorte diuiduntur, & in corpus impollutum veniunt, non seruntur animæ cum corporibus, sed potius cœlitus à Deo infundnutur.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum duplicem habet cohærentiæ rationem. Prior est, quòd ea quæ sorte veniunt,

veniunt, dicuntur à Deo dari immediatè. Quis enim dirigit sortes? Ait Salomon prouerb. 16. ver. 13. Sortes mittuntur in sinum, à Domino autem iudicium illarum. Cum itaq; sorte animas distribui dicat sapiens, extra omnem dubitationem huius sententiæ veritatem collocat.

Altera ratio verbo VENIENDI exprimitur. Ait enim, animam venire in corpus impollutum. Quomodo autem aliundè aduenisse anima dici poterit, si in ipso corpore originem sumit?

Cæterum vt hoc obiter moneam, quidam hoc loco cum audiunt, animam venisse in corpus impollutum, hunc locum de Christo interpretantur. Sed non vident, ea in Christum minimè competere, quæ paulò superius ponuntur Idem, ipse enim qui hic loquitur, hæc verba, quæ hîc proferuntur recitans, profitetur, se ex viri semine in sanguine coagulatum fuisse. Statuendum itaq; est, hoc loco corpus infantum non simpliciter impollutum dici, sed κ̄τ̄ τι, si respectus fiat ad corpus adultum, varijs iam peccatorum actualiũ sordibus pollutum. Assumptum fidem sibi facit ex loco scripturæ.

Locus octauus.

Sap. 15. vers. 11. Quia ignorauit (homo mortalis) qui finxit se, & qui inspirauit ipsi animam efficacem, & sufflauit in ipsum vitalem spiritum.

Ex hoc

Ex hoc loco sequens conficitur conclusio.

Si Deus homini iam formato inspirat animam efficacem, & insufflat in ipsum spiritum vitæ, non oritur anima, ex potentia materiæ in vtero, sed potiùs à Deo infunditur.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum sua luce lucet, propter modum animæ in homine creatæ. Non enim Deus per medium traducis, animam creauit in Adamo: sed potiùs creato iam corpori animam inflauit.

Nunc verò cum dicat sapiens, etiamnum homini Deum inspirare animam, & insufflare in ipsum vitalem spiritum: apertè docet, eum nunc quoq; Deum animarum creandarum modum imitari, quem in anima primi hominis fuerat imitatus. Iisdem enim verbis vtitur sapiens, quibus Moyses, dum creationem animæ Adami describit.

Assumptum fidem sibi facit ex scripturæ loco.

Locus nonus.

Esa. 57. vers. 16. A facie Dei spiritus induit corpus, & omnes flatus, siue animas ego feci.

Ex hoc loco sequentem conficio Conclusionem.

Si omnis anima a facie & conspectu Dei, hoc est,

est, Deo per se efficiente, corpus induit: &, si omnes flatus siue animas ipse facit: non oritur anima ex seminali potentia, sed extrinsecus à facie Dei in corpus venit.

Sed omnis anima rationalis à facie Dei, & conspectu, ipso Deo operante, vadens, induit corpus.

Ergo non oritur à potentia seminali, sed extrinsecus à facie Dei in corpus venit, & formatum corpus induit.

Connexum firmum est ex scripturæ phrasi: A facie enim tantundem valet, ac Deo per se efficiente, & sine medio operante. Et hoc est quod addit Propheta: animam à facie & conspectu Dei ire in corpus, & illud iam formatum induere. quomodo enim indueret, nisi iam esset formatum?

Locus itaq; hîc, vt in Claui sua statim in initio, ait Illyricus, contra traducem notabilis est: significat enim, animas à conspectu & facie Dei sic mitti, vt iam formatum in vtero corpus induant. Et hoc est, quod in hunc locum annotat Petrus Galatinus lib. 2. cap. 3. vbi refellens eorum opinionem, qui Prophetarum omnium animas in monte Sinai adfuisse tradunt, cùm Lex Moysi daretur, ac proinde animas simul fuisse procreatas, scribit hoc modo: Hoc & sacræ scripturæ, &

doctorum suorum iudicio apertè repugnat: Siquidem in Bereſit Rabba, in eo loco, vbi Gen. 5. dicitur. Hic liber generationis Adam, ſic legitur, ſcriptum eſt Eſa. 57. Quia non in ſempiternum litigabo cum Adam primo, nec in finem irascar cum generationibus eius. Quoniam ſpiritus a facie mea amiciet corpus. R. *Tanbum dixit: Non veniet rex Meßias (in ſecundo ſcilicet aduentu) quousq; creentur omnes animæ, quæ aſcenderunt in cogitationem Dei, vt crearentur. Vnde probatio? Ex eo, quod dictum eſt, Eſa. 57. Et animas ego feci, id eſt propter animas ego feci, ſupple mundum. Quibus ex verbis palàm oſtenditur, animas vſq; ad mundi finem quotidie creari. Hactenus Galatinus.*

Aſſumptum expreſſo ſcripturæ loco probatur.

Locus decimus.

Zach. 12. verſu 1. Qui (Iehoua) extendit cœlos, & fundat terram, formatq; ſpiritum hominis in medio eius.

Ex hoc ſcripturæ loco conficitur concluſio.

Si DEVS in medio corporis animam rationalem format: neceſſe eſt, vt prius formetur corpus

corpus, in cuius medio anima à DEO formari posit: ac proinde sequi oportet, animam non cum corpore seminari, sed à DEO infundi:

Sed DEVS in medio formati iam in vtero corporis, animam rationalem format.

Ergò anima rationalis non seritur cum corpore, sed à DEO formato corpori infunditur.

Connexum patet, propter loci præexistentiam. Nulla enim res creata potest esse, nisi in certo loco. Nunc verò cum Propheta testetur, animam in medio hominis à Deo formari: necesse est, vt locus animæ rationalis præextiterit, & formato corpori anima infusa sit.

Assumptum expresso Zachariæ loco nititur.

Locus vndecimus.

2. Machab. 7. versu 22. Mater septem fratrum martyrio affectorum, hoc modo filios suos alloquitur.

Nescio, quando in meo vtero comparueritis, neque ego spiritum, vitamq; sum largita vobis: neq; primariam cuiusq; informationem ego coaptaui.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si mater filijs suis spiritum & animam largiri non potest: non propagatur anima ex parentibus in filios, sed potius diuinitus infunditur.

Sed antecedens verum est

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum sua lucet luce, vt nihil opus sit in eo explicando laborare.

Assumptum verò loco scripturæ fidem sibi facit.

Locus duodecimus.

Act. 17. vers. 25. Ipse (Deus) dat omnibus vitam, & halitum, & omnia.

Ex hoc loco sequens conficitur Conclusio:

Si Deus adhuc quotidie dat omnibus vitam, halitum: Deus dat etiamnum & infundit animas corporibus.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum cohæret, propter vim præsentis temporis: Non enim dicit, Deum semel Adamo dedisse vitam & animam, ex qua reliquæ traducantur: sed expressè ponit, etiam in præsenti Deum dare animas vitæ principium omnibus.

Locus tredecimus.

Hebr.

Hebr. 12. vers. 9. Corporum nostrorum patres habuimus castigatores, & eos reueriti sumus: annon multò magis subijciemur patri spirituum, & viuemus?

Num. 16. vers. 22. Deus, Deus spirituum vniuersæ carnis: annon vir vnus peccauit, & contra vniuersam congregationem irascēris?

1. Pet. 4. vers. 19. Qui malis afficiuntur voluntate Dei, tanquam fideli conditori, commendent animas suas, benefaciendo.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si carnem à parentibus carnalibus assumimus, & spiritum à Deo creatore spirituum, & patre sortimur: non educitur anima ceu caro ex parentum semine, sed potius à Deo quotidiè carni in vtero formatæ infunditur.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum manifestum est, propter naturam antitheſis, qua vtitur Apostolus, quemadmodum annotauit doctissimus Theologus, parens, & præceptor meus toto conatu suspiciendus Theodorus Beza in hunc Pauli locum, inquiens: Omnino videtur poscere antitheſis, vt animarum non tantùm liberator à peccato, siue spiritualis instaurator, aut etiam cogitationum gubernator, sed creator, Deus dicatur, aduersus

dogma de traduce. Quo etiam spectant verbæ Moysis, Num. 16. vers. 22. Cum enim expressè ponatur, carnem à parentibus carnalibus duntaxat nos sumere, & per antithesin addatur, spiritum à Deo Spirituum nos accipere: extra omnem dubitationem veritas huius sententiæ collocatur, nisi quis apertis scripturæ verbis velit refragari.

Et hactenus de primo argumentorum ordine in thesi partis affirmatiuæ.

II. *Alter ordo argumentorum, qui à testimonys veterum patrum sumitur.*

Augustinus, qui in hac re aliàs dubius esse videtur, Tom. 2. Epist. 28. ad Hieronymum: Singulas, inquit, animas singulis nascentibus Deus etiam modo facit.

Hilarius lib. 10. de Trinit. Quasi verò, si tantùm ex virgine assumpsisset (Christus) corpus, assumpsisset quoq; ex eadem & animam: cum anima hominis opus Dei sit, carnis verò generatio semper ex carne sit.

Bernardus Ser. 2. de Natali Domini: Spiritus sanè non propriam, sed communem habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excel-

excellentia inſpiratur. Agnoſce ô homo dignitatem tuam compacta & confœderata ſunt in te caro & anima, illa plaſmata, hæc inſpirata.

Idem in fine Sermonis: Quòd vnitur rationalis animæ creatura terreno corpori, omninò non eſt humilitati adſcribendum; ſiquidem non ex deliberatione propria carni miſcetur, ſed creando immittitur, immittendo creatur.

Idem in Cant. Serm. 81. Vita anima eſt, viuens quidem, ſed non aliunde, quàm à ſeipſa: ac per hoc non tam viuens, quàm vita, vt proprie de ea loquamur. Inde eſt, quòd infuſa corpori, viuificat illud; vt ſit corpus de vitæ præſentia, non vita, ſed viuens.

Cyprianus in Oration. Dominic. Nam cum corpus è terra, ſpiritum poſſideamus è cœlo: ipſa terra & cœlum ſumus, & inde in libro Eccleſiaſt. ſcriptum eſt, ſpiritus redit ad Deum, qui dedit illum.

Athanaſius in vita Sancti Antonij: Animam noſtram commendauit nobis Deus: ſeruemus depoſitum, quale accepimus.

Idem in Orat. Contra Idola: Cum (anima) corpus ingreſſa eſt, & colligata: non ad corporis exiguitatem contrahitur.

Lactantius de Opificio Dei cap. 19. Serendarum animarum ratio, vni & ſoli Deo ſubiacet.

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem pater est &c.

vt ait Lucretius : Nam de mortalibus non potest quicquam nisi mortale generari ; nec putari pater debet , qui transfudisse aut inspirasse animam de suo vllo modo sentit: nec si sentiat, quando tamen, aut quomodo id fiat, habet animo comprehensum. Ex quo apparet , non à parentibus dari animas , sed ab vno eodemq; omnium Deo Patre , qui legem, rationemq; nascendi tenet solus, siquidem solus efficit. Nam terreni parentis nihil est , nisi vt humorem corporis, in quo est materia nascenti, cum sensu voluptatis emittat, vel recipiat, & circa hoc opus homo resistit , nec quicquam amplius potest.

Cætera iam Dei sunt omnia , scilicet conceptus ipse, & corporis informatio, & inspiratio animæ, & partus incolumis , & quæcunq; deinceps ad hominem conseruandum valent : illius munus est, quòd spiramus, quòd viuimus, quòd vigemus.

Ambrosius. *Ambrosius præparatis iam in ventre mulierum , deformatisq; corporibus , tunc ad præsens creari animas, & inseri formato iam corpori asserit.* Nazianzenus. Nissenus. Cusanus. *Cui astipulantur Nazianzenus Orat. 30. Gregorius Nissenus Lib. de Creat. cap. 29. Leo Epist. 71. & 91. Tom. 2. Cusanus Lib. 2 de Catholica Concordan. cap. 9. Aristotelis eadem est sen-*

tentia

tentiæ lib. 2. de animal generat. cap. 3. Sola inquit anima rationalis foris accedit, & diuina est.

Sed obijcitur hoc loco.

Si animæ à Deo creantur, & creando infunduntur: vnde peccatum in anima? Obiectio.

Ad hanc quæstionem respondet author libri de spiritu & anima cap. 41. vbi sic scribit. Responsio.

Certum teneamus, quod caro contracta de carne per legem concupiscentiæ, quæ citò viuificatur, originalis culpæ velo premitur, eiusq; affectionibus anima, quæ carnem viuificat, aggrauatur; sub hoc peccati vinculo demerguntur paruuli, qui sine remedio baptismi moriuntur. Habet enim Originale peccatum non per animam, sed per carnem vtiq; contractum animæq; refusum. Carni namq; ita vnitur anima, vt cum carne sit vna persona, Fit enim, authore Deo, caro & anima vnum induiduum, vnus homo: vnde sub ea naturæ vtriusq; proprietate adijcitur carni, quod animæ est: & animæ, quod carnis est, pro vnitate personæ, non pro diuersitate naturæ. Quod igitur ibidem singulis est proprium, commune fit amborum: proprium pro natura, commune pro persona. Exinde fit anima originali culpæ obnoxia, quam caro contrahit, & animæ refundit, cum qua vnita est in persona, licet diuersa sit in natura. Caute legendum.

Ex his itaq; & alijs hactenus disputatis, veritas huius sententiæ extra omnem collocatur dubitationem, nempe: Animas rationales singulas, singulis nascentibus à Deo creando infundi, & infundendo creari.

CAPVT XII.

SI ANIMA RATIONALIS, AVT A DEO singulis nascentibus creando infunditur, aut per traducem propagatur, vbi ergo est. propria animæ sedes in corpore humano?

POstquam eò progressi sumus, vt regem ad regiam, hoc est, animam in corpus introduceremus: illud in primis occurit expendendum, vbi sit sedes animæ in corpore: an toti totum corpus, an verò pars quædam eius sedem præbeat? qua de re video non omnes eandem habere sententiam.

Veterum opiniones de sede animæ in corpore.

Philosophi etenim alij hoc, alij illud pro sede animæ collocant. Plato inprimis tres in eodem animato animas singens, vnam earum, quæ sit præcipua, in cerebro, alteram in corde, tertiam in epate collocauit. Quam sententiam propemodum

modum sequitur Philo, qui in libro Allegoriarum. Legis: Rationalem facultatem, seu vt ipse vocat, partem, in capite collocat, irascibilem in corde, concupiscibilem in iecore siue inguinibus.

Athanasius simili ratione tres in corpore sedes asscribit animæ in disputatione de Anima; Cor, posteriorem capitis partem, quam cauam vocant, Et Basilicas venas: hoc argumento nixus, Quod si cor vulneretur, aut ex Basilica vena multum sanguinis effluat, aut si caput cædatur vel gladio secetur, statim à corpore recedat omnia.

Aristoteles lib. 1. de Anima, sedem animæ cor esse ait, ad quod tanquam centrum, sensuum obiecta deferantur.

Albertus magnus eandem sententiam sequitur.

Galenus, Hippocrates medici quidam alij, sedem animæ in cerebro collocant, quod ibi sit motus & neruorum initium.

Xenocrates in vertice capitis collocat. Herophylus circa cerebri fundamentum. Strato Physicus in superciliorum meditullio: Erasistratus in membranulis cerebri.

Epicurei & Aegyptij, item Empedocles, in tota pectoris lorica Patermani & Venusiani hæretici, in Stomacho & capite. August. cont. Iulian. lib. 5.

Moschion in toto corpore, Heraclitus in extrinseca agitatione. Augustinus Tom. 3. de Spiritu

Spiritu & Anima cap. 15. Item Tom. 6. contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti cap. 16. Item ad Hyeronimum de Ratione animæ. Item libro de fide ad Petrum diaconum cap. 3. Item de substantia animæ cap. 19. Hilarius in Psal. 120. Animam totam in toto corpore substantialiter adesse, & in qualibet parte totam regnare existimant.

Sed vt hasce omnes opiniones clariùs expendamus, tenendum est, quod nuper dixi: Animam dupliciter posse considerari. Primò, vt est tota cum omnibus facultatibus & potentijs suis, puta, vegetatiua, sensitiua, intellectiua, appetitiua, & locomotiua.

Secundò seorsim secundum singulas facultates. Illi itaq; qui animam totam in toto corpore esse volunt, loquuntur de tota anima, non seorsim de singulis potentijs eius.

Illi verò qui cor vel cerebrum vel quid tale statuunt sedem esse animæ, de intellectiua tantum facultate siue rationali loqui videntur. Hac itaq; distinctione præmissa, cùm nos quærimus, vbi sit animæ sedes in corpore: illud duntaxat inuestigamus, vbi sit præcipuæ illius facultatis, animæ inquam rationalis, sedes in corpore humano? Ad quam quæstionem, vt quod sentio, respondeam, tenendum est.

Duas esse partes in toto corpore præstantissimas,

mas, quæ sedem animæ pro sua dignitate præbere possent, Cerebrum & Cor: quæ duæ partes, adeò censentur præstantissimæ, vt sæpè in scripturis nomen animæ rationalis mereantur; Itaq; etiam Deus, vt anima rationali præditum hominem sacrificari semper prohibuit, & precio propter eius dignitatem redimi voluit: ita nusquam in tota sacra scriptura legimus, cor & cerebrum in sacrificijs Deo oblata fuisse, cùm interea de alijs minus præstantibus animalium partibus, adipe nimirum fibris, iecore, & alijs, expressum inueniamus mandatum. Cuius rei rationem à multis hanc afferri video, quòd anima rationalis proprias suas vires & facultates in his duabus partibus efficaciùs exerceat, quàm in alijs, adeoq; in alterutro loco sedem habere putetur. Hinc orta est disceptatio, an anima in cerebro vel in corde sit, alijs hoc, alijs illud asserentibus & confirmantibus.

Animam esse in cerebro probatur.

Argumenta eorum qui censent, Animæ sedem esse in cerebro.

Dan. 2. vers. 28. cap. 4. vers. 2. 7. 10. De Somnio & visione illa diuinitus Nabugodonozori immissa, ita scribit Daniel:

Somnium tuum & visio capitis tui in cubili tuo: Iterum:

Et visiones capitis mei turbabant me &c.

Ex

Ex hoc loco talem conficiunt conclusionem.

Si visio diuina non corpori, sed animæ tantum obiici solet: anima in cerebro est, non in corde.

Sed omnis diuina visio non corpori, verùm animæ exhiberi solet.

Ergo anima est in capite.

Connexum totum manifestum est. Nulla enim visio aut somnium diuinum solet obiici, nisi ob tutui animæ, & solius intellectus operationi. Audimus autem hoc loco Regem dicere, capitis sui se visiones vidisse. Quare sequitur, animam in cerebro esse. Allegant huc & Ieronymum qui in commut: in Demicli cap. 3. ex hoc loco ait colligi posse, τὸ ἡγεμονικὸν, non in corde, sed iuxta Platonem in cerebro esse.

Galenus hoc modo ratiocinatur, referente eximio doctore Dressero.

Vbi neruorum principium est, ibi animæ sedes est.

Sed principium neruorum est in cerebro.

Ergo animæ quoq; sedes est in cerebro.

Connexum huius syllogismi hinc pendet, quòd nerui sunt famuli voluntatis, ad motum perficiendum, voluntas verò est altera rationalis animæ potentia. Quare si nerui, quibus anima ad motum perficiendum vtitur, sunt in capite multò magis anima esse debet.

Philonis

Philonis vero tale est Argumentum in libro de Allegoria Legis.

Vbicunq; satellitium regium est, ibi rex à Satellitio Stipatus sedem habet: Sed totum animæ satellitium hoc est, omnes eius famulos quibus ad operationem vtitur sensus in quam externos in capite esse videmus. Ergo & sedes animæ in capite est:

Quorundam argumentum ab exemplo morientium sumptum est. Morientes enim vtplurimum attollere oculos solent in mortis termino, quod ideo fieri credunt, quòd anima in cerebro locata per meatus oculorum exeat, quam etiam naturalis calor sequatur. Ob id discedente animæ corpora efficiuntur frigida. Sicut contra cum calor sese colligit ad interiora oculi deorsum conuertuntur vt fit in somno. Arist. Prob. Sec. 22. quæst. 1.

Moses hoc modo videtur confirmare quòd anima sit in capite Gen. 2. vers. 7. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.

Si Deus in faciem spirauit animam, in capite est anima, sed Deus in faciem insufflauit animam.

Ergò anima sedem habet in capite.

Argu-

Animam esse in corde probatur.

Argumenta eorum qui censent animam rationalem in corde sedem habere.

Gen. 6 vers. 5. Omnis imaginatio cogitationum cordis eorum tantummodo est ad malum omni tempore.

Gen. 8, cap. 21. Cogitatio cordis humani mala est à pueritia sua.

Exod. 4. vers. 21. Ego indurabo cor pharaonis.

Esa. 6. vers. 10. Excæca cor huius populi ne corde suo intelligat.

Luc. 3. v. 15. *Matth. 9. vers. 4. Quid cogitatis mala in cordibus vestris.*

Matth. 12. vers. 35. Bonus homo de bono thesauro cordis profert bona. Malus homo de malo thesauro cordis profert mala.

Mar. 7. v. 21. *Matth. 15. vers. 18. 19. Ex corde egrediuntur cogitationes malæ &c.*

Rom. 2. vers. 15. Opus legis scriptum in cordibus eorum.

Actor. 16. vers. 14. Lydiæ aperuit Dominus cor vt attenderent verbis Pauli.

Ex his talis efficitur Conclusio.

Si omnis intellectus cogitatio, mala siue bona ex corde proficiscitur, anima sedem habet in corde. Eius enim operationes sunt propriæ intelligere cogitare, & ratiocinari.

Sed

Sed omnis cogitatio, intellectus, ratiocinatio, ex corde proficiscitur.

Ergo sedes animæ rationalis est in corde.

Alia ratio talis est: Vbicunq; origo est vitæ ibi est sedes animæ: Sed origo vitæ est in corde quia est primum viuens atq; mouens, & vltimum moriens.

Ergo anima est in corde & non in cerebro.

Hieronymus in 15. cap. Matth. lib. 2. De corde enim exeunt: &c. De corde inquit exeunt cogitationes malæ: Ergo animæ principale non secundum Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde est.

Idem ad Fabiolam de veste Sacerd:. Quæritur vbi sit animæ principale. Plato in cerebro, Christus monstrat in corde: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et, Quid cogitatis mala in cordibus vestris.

CAPVT XIII.

ORdo tractationis nostræ requireret, vt hoc loco de operationibus Animæ in corpore pauca diceremus: sed quoniam supra cap. 6. in animæ diuisione potiores eius operationes recensui: Hoc loco nihil attinet amplius de illis loqui, ne plus iusto hoc scriptum, quod alias breue esse volo, excrescat. Ac proinde si quis hac de re plura cupit le-

gere, adeat Augustinum Libro de Quantitate animæ cap. 33. copiosè hac de re differentem. Cæterum hactenus de anima corpori coniuncta verba fecimus: iam deinceps de Anima à corpore dissociata tractandum nobis erit.

CAPVT XIIII.

AN ANIMA RATIONALIS CORRVpto corpore simul corrumpatur & esse desinat, an vero sit æterna & immortalis.

AEneas Gazæus Philosophus Christianus, in suo Theophrasto quem de animarum immortalitate, & futura corporum resurrectione scripsit, author est, Priscos omnes sapientes vsq; ad tempora Platonis animorum immortalitatem statuisse: solos autem recentiores adeò audaculos esse, vt verbo diuino repugnandam non pertimescant, quippe qui à via, siue acie diuina digressi, multum brutæ, & eius quæ omnis est expers rationis naturæ secum trahant, & non solum corpus mortale esse sinant sed ipsam animam sua victi stultitia, mori quasi quodammodo cogant. Grauis est hæc querela contra cæcos illos, & naturali tantùm lumine præditos Philosophos. Nos vero

quid

quid de Sadducæis & Arabibus queramur, qui falsa opinione præsumebant hominum animas esse mortales, vt apud Matthæum cap. 22. vers. 23. Mar. 12. vers. 10. Lucam cap. 20. vers. 27. Act. 23. vers. 8. & 24. vers. 13. 21. ex Christi disputatione apparet? Arabici Augustino teste in Hæresi alog. cum corporibus dissolui animas dixerunt: ita tamen vt in fine seculi vtriq; resurgant. Nazaræorum vtiq; furculus hæc hæresis fuit, qui hominum & brutorum animas eiusdem essentiæ esse statuentes, humanas animas similiter ac brutorum mortales esse voluerunt. Cui errori affines sunt Psychopannychitæ nostro tempore renascente Euangelio exorti, qui ex Anabaptistarum hominum factiosorum secta prodeuntes, animarum vitam & gloriam vsq; ad resurrectionem differri crediderunt, ac interea animas in sepulchris cum corporibus dormire, qui error iam olim publica synodo explosus & damnatus fuit Eusebio teste lib. 6. cap. 6. Et non ita pridem a Theologo doctissimo,

Iohanne Caluino *in libello quem inscripsit* ψυχοπαννυχία *ita refutatus, vt superuacanei laboris credatur quicquid in hanc partem in posterum afferetur. Ne tamen nostro ordini, quem in hoc scripto persequi voluimus, deesse prorsus videamur, pauca quædam de æterna animarum immortalitate delibabimus.*

Thesis.

Dico Animam rationalem æternam incorruptibilem atq; immortalem esse, neq; corrupto corpore corrumpi sed suam ἐνέργειαν, & esse habere.

Hæc Thesis explicanda primùm est, posteà confirmanda.

Duo igitur hic explicanda sunt: Primò quomodo Anima dicatur æterna, secundò: quomodo incorruptibilis & immortalis.

Anima quo pacto sit æterna.

Ad primum quod spectat sciendum est, quòd dupliciter aliquid æternum dici potest: Vno modo tàm ex negatione principij, quàm ex negatione successionis, atq; finis: Hoc modo dicuntur esse æterna, quorum neq; principium vllum fuit, neq; successio neq; finis. Hæc enim tria sunt veræ æternitatis requisita. Hoc modo dicunt sacræ literæ Deum esse æternum.

Secundò modo dicitur æternum, tantùm à negatione finis, cum aliqua res dicitur quidem initium suæ durationis habuisse, nunquam tamen finem habitura est: Iam verò cum quærimus an Anima æterna sit, non quærimus an sit primo modo æterna: scimus enim eo modo non esse æternam: sed duntaxat inuestigamus an secundo modo æterna dici possit.

Ad secundum quod spectat sciendum etiam

est

est, quod sicut mortale & corruptibile dupliciter dici aliquid potest: ita incorruptibile & immortale. Vno modo corruptibile & mortale dicitur, cum res aliqua principium in se aliquod habet, per quod tendit ad mortalitatem & corruptionem: sicut omnia animantia bruta & composita ex principijs intrinsecis in quæ resolui possunt. Et hoc propriè dicitur corruptibile & mortale.

Anima quo modo incorruptibilis.

Ex oppositio verò dicitur immortale & incorruptibile, quod nullum tale intrinsecum habet principium, vt sunt intelligentiæ, & simplices spiritus.

Alio modo dicitur aliquid mortale & corruptibile, non quia intrinsecum aliquod principium habeat, per quod ad corruptionem tendat, sed quia per aliquod agens extrinsecum, aut agendo, aut ab actione cessando desinere potest, sicuti dicunt Sacræ literæ cœlos transire & corrumpi Deo ita volente.

Per oppositum verò incorruptibile & immortale dicitur, quod à nullo etiam extrinseco agente ad interitum deduci potest, sicut est Deus æternus, & immortalis.

Iam verò in hac nostra thesi non quæritur, an anima intellectiua sit immortalis secundo modo, sed tantùm, an primo modo sit incorruptibilis & immortalis, tanquam videlicet nullum in se principium habens per quod tendere posset ad

mortalitatem: Sed expende hic mecum huiusmodi incorruptibilia rursus dupliciter posse dici: Aut per se, aut per accidens: Per se, cum aliquid in se & sua natura nihil habet, à quo corrumpi possit: Tamen per accidens corrumpi sæpe contingit. Vt exempli gratia, Forma per se, & sua natura incorruptibilis est: quia tamen forma omnis educitur ex materiæ potentia, vt à materia dependet corrupta materia corrumpi formam per accidens necesse est. In nostra ergo quæstione quærimus, Vtrum Anima ita prorsus sit immortalis, & incorruptibilis, vt neq; per accidens desinere possit? His præmissis repetamus Thesin.

Dico animam rationalem ita prossus esse immortalem & æternam, corruptoq; corpore, remanere à corpore separatam, vt nec per se, nec per accidens mori & interire vnquam possit.

Hanc Thesin quadruplici argumentorum ordine confirmabo. Primò contra Sadducæos expressis Veteris Testamenti locis. Dicunt enim illi de animæ immortalitate nullum extare locum in veteri Testamento.

Secundò expreßis Noui Testamenti testimonijs.

Tertiò Veterum Patrum authoritate.

Vltimò Rationibus naturalibus, siue ex principijs naturali intellectus lumine notis.

De primo ordine Argumentorum.

Locus

Locus primus.

Gen. 2. vers. 7. Inspirauerat Iehoua in faciem eius (hominis) Spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si Deus in sufflando animam in faciem hominis, diuinum aliquid, & quasi de suo illi contribuit, & cœlesti natura præditum atq; duplicis vitæ præsentis & futuræ participem spiritum ei donauit, non est anima corruptibilis & mortalis sed æterna potius & incorruptibilis.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum ex sensu verborum Mosis pendet. Iria itaq; in illis verbis quæ animæ immortalitatem statuunt narrat Moses: vt diligentissimus homo in Sacris literis Paulus Fagius animaduertit.

Primum est: insufflatio illa Dei. Qui enim insufflat in aliquem, de suo aliquid illi contribuit, vnde & Christus seruator noster, volens discipulis suis spiritū sanctum communicare, fecit illud cum insufflatione, significans, se diuinū, & de suo quiddam illis contribuere. Alterū est quod animæ immortalitatē asserit significatio vocis Hebr נישמת *Nischmat, quæ diuinū et cœleste quiddā significat,*

vt non immerito etiam poëtæ animam hominis particulam diuinæ auræ vocauerint.

Tertium est vocabulum חיים *Haÿm, quod cum Hæbræis sit pluralis, vel potiùs dualis numeri, non simpliciter vitam, sed longæuam, & duplicem significat vitam, præsentis videlicet & futuri seculi: Ex quibus colligimus Nischmat Haÿm flatum esse seu spiritum diuinum, cœlestem, immortalem, & æternum durantem.*

Assumptum expresso Mosis Testimonio nititur.

Locus secundus.

Gen. 35. vers. 16. 17. 18. Parturiuit Rachel difficultatemq; passa est dum pareret &c. Fuit autem egrediente anima eius (nam mortua est) vocauit nomen illius Benoni.

1. Reg. 17. vers. 21. 22. Sic orat Elias: Reuertatur obsecro Iehoua anima pueri huius ad interiora eius: Et exaudiuit Iehoua vocem eius, reuersaq; est anima eius ad interiora eius.

Ex his scripturæ locis sequentem confício conclusionem.

Secundus syllogismus.

Si anima rationalis extincto corpore exit: & contrà si in mortuum cadauer ad nutum Dei redire potest, & corpus viuificare, non corrumpitur cum corpore sed potiùs æterna & immortalis est.

Sed

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum manifestum est: Assumptum expressis scripturæ locis probatur.

Locus tertius.

Num. 23. vers. 10. Sic ait Bileam: Moriatur anima mea morte iustorum, & sit nouissimum meum sicut ipsorum.

Num. 24. vers. 17. Idem Bileam de Aduentu Messiæ sic inquit: Videbo eum sed non nunc, intuebor illum sed non de prope.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si animæ piorum post mortem benè habent, quàm conditionem Bileam sibi dari optat, & si ille citò se post suam mortem Messiam, quem in carne non vidit, visurum diuinitùs resciuit: anima non corrumpitur cum corpore, sed potiùs æterna atq; immortalis est. Syllogismus tertius.

Sed antecedens verum est

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum manifestum est: tum propter vim desiderij Bileam, qui indicat iustorum animas post mortem bene habere, cupitq; eodem statu potiri, tum deniq; quia indicat se etiam post mortem victurum & Messiam animi oculis visurum.

Assumptum sibi fidem facit ex locis scripturæ expressis.

Locus quartus.

1. Sam. 25. vers. 29. Abigail inquit Dauidi: Erit anima Domini mei ligata in fasciculo vitæ cum Iehoua Deo tuo: At animam inimicorum tuorum, funda iaculabitur Dominus in medio sedis fundæ.

Sap. 3. vers. 12. Iustorum animæ sunt in manu Dei, nec attingit eos cruciatus. Visi sunt in oculis insipientium mori, eorumq; exitus ærumna est existimatus, & discessus à nobis contritio: hi verò sunt in pace. Nam si in conspectu hominum cruciantur: spes ipsorum immortalitatis plena est.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si animæ iustorum, vt Dauidis, custodientur post mortem in custodia viuorum, & in manu Dei æterna pace fruuntur, contra verò impiorum, veluti hostium Dauidis: veluti lapis funda excussas in exitium abijcientur, anima non corrumpitur corrupto corpore, sed potiùs æterna & immortalis est.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Locus quintus.

Iam ad Argumenta noui Testamenti me confero, quibus vnicum veteris Testamenti locum coniungo. Eccles.

Eccleſiaſt. 12. verſ. 7. 10. Redibit puluis in terram vnde ſumptus eſt, Spiritus autem redit ad Deum qui dederat illum.

Luc. 23. verſ. 46. Chriſtus in ara crucis moriturus clamat ad patrem dicens: Pater in manus tuas depono ſpiritum meum.

Eodem capite verſ. 41. Dicit Latroni, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.

Act. 7. verſ. 60. Stephanus in medijs lapidibus Chriſtum inuocans ait, Domine Ieſu ſuſcipe Spiritum meum.

Paulus ait, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.

Ex his ſcripturæ locis ſequentem conficio concluſionem.

Si animæ ſanctorum poſt mortem corporis redeunt ad Deum qui eas dederat, Et ſi Chriſti, Latronis, Stephani anima in manus Dei poſt mortem recepta eſt, non corrumpuntur animæ, neq; intereunt corruptis corporibus ſed potiùs æternæ atq; immortales ſunt.

Sed antecedens verum eſt.

Verum igitur & conſequens.

Conexum manifeſtum eſt: Si enim Chriſti anima recipitur in manus Dei, vtiq; recipientur omnium etiam ſanctorum: Ait enim Chriſtus Iohan. 12. verſ. 26. Nam vbi ego ſum ibi erit & mi-

& minister meus, quod videmus in Latrone & in Stephano expresè confirmari.

Assumptum sibi fidem facit ex locis Scripturæ.

Locus sextus.

Matth. 10. vers. 28. Ne timueritis vobis ab his qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare, sed timete potius eum, qui & corpus & animam potest perdere in Gehenna.

Ex hoc loco talis conficitur conclusio.

Syllogismus sextus.

Si trucidatis corporibus nemo animam trucidare potest, non corrumpitur anima cum corpore, sed potius æterna atq; immortalis est.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Locus septimus.

Matth. 22. ver. 32. Mar. 12. v. 10. Luc. 20. v. 27. Orta dissensione inter Sadducæos & Christum de resurrectione mortuorum: ait Christus inter alia: Non legistis quod dictum est: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium.

Ex hoc scripturæ loco sequens conficitur conclusio.

Si Deus non est Deus mortuorum sed viuentium, Idem tamen Deus est Deus Abraham, Isaac

&

& Iacob, anima non interit cum corporis dissolutione, sed potius incorruptibilis & æterna est.

Sed Deus non est Deus mortuorum. Idem tamen est Deus Abraham, Isaac & Iacob.

Quare anima non corrumpitur cum corpore sed potius incorruptibilis & immortalis est.

Connexum hypotheticum hanc habet rationem euidentiæ. Quòd si Deus mortuorum non est Deus, oportet vt Abraham, Isaac & Iacob aliquo modo viuant si eorum Deus esse Deus non desinit. Non autem viuunt corpore. Abraham enim mortuus est anno mundi 2123. ante natum Christum CIↃ. D. CCC.

Viuunt igitur animæ, cuius ob respectum dicitur Deus esse Deus illorum.

Assumptum fidem sibi facit propter expressam Christi authoritatem.

Locus octauus.

Luc. 16. vers. 22. Factum est autem vt moreretur mendicus & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, mortuus est verò & diues, Et apud inferos sublatis oculis suis cum esset in cruciatibus, videt Abraham & Lazarum in sinu eius. Tum ipse clamauit dicens &c.

Apoc. 6. vers. 9. Vidi subter altare qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter testimonium quod tuebantur. Clamabant autem voce magna

magna &c. Petri locus. 1. Petri 3. vers. 18. Per quem Spiritibus qui sunt in carcere profectus prædicauit.

Syllogismus octauus.

Ex his scripturæ locis talem conficio conclusionem.

Si animæ defunctorum sanctorum post funera corporum lætantur in sinu Abrahæ, & subter Altari, Christo inquam, Et si clamantes sese viuere declarant, & regni gloriæ consummationem expectant, non intereunt vna cum corporibus.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Locus nonus.

Ioh. 11. vers. 25. Ego sum vita, si quis crediderit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: Et omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum.

Idem: cap. 5. vers. 24. Amen dico vobis, qui audit sermonem meum, & qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transit à morte ad vitam.

Apoc. 14. vers. 13. Beati mortui qui à modo moriuntur, Quoniam requiescunt à laboribus suis.

Syllogismus nonus.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si mortuo corpore anima illicò transit ad vitam, vbi beata ab omnibus laboribus & molestijs liberat

libera viuit, non occumbunt animæ cum corporibus.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Hactenus veteris & noui Testamenti loca præcipuare censui, adijciam nunc veterum quoq; patrum aliquot testimonia.

Patrum testimonijs probatur animã esse immortalem.

Augustinus Tract. 27. in Ioh. Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Hoc enim suscitabatur quod moriebatur. Nam verbum non est mortuum, anima illa non est mortua. Si nec tua moritur, Domini morietur? Vnde scio inquis si mea non moritur. A te non occidatur & non moritur. Quomodo inquis ego possum occidere animam meam? Vt alia peccata intermittam os quod mentitur, occidit animam. Quomodo inquis securus sum quia non moritur? Ipsum Dominum audi dantem seruo securitatem: Nolite timere eos qui occidunt corpus, & postea non habent quid faciant. Sed planè quid ait? Eum timete qui habet potestatem, & corpus & animam occidere in gehenna. Ecce quia moritur, ecce quia non moritur. Quid est mori ipsius? Quid est mori carni tuæ? Mori carni tuæ est amittere vitam suam. Vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus. Quomodo moritur caro, amissa anima, quæ vita est eius: Sic moritur anima amisso Deo,

Augustinus Tract. 27. in Iohan.

qui

qui vita est eius. Certè ergo immortalis est anima: plane immortalis, quia viuit & mortua.

Idem de cognitione veræ vitæ cap. 32. Animas constat esse æternas, si enim ad videndum Deum factæ prædicantur, necessariò sequitur vt sic Deus finem non habere creditur: ita animæ illum visuræ, sine fine viuere non dubitantur. Sed quæritur vtrum animæ illæ æternæ sint, quæ Deum visuræ non sunt. Omnes animas vnius constat esse naturæ, & si quædam animæ immortales sunt, igitur omnes animæ Deum visuræ supererunt beatæ, non visuræ miserè.

Idem Tom. 6. Contra Felicianum cap. 14. Anima non aliter quam sol vitam tribuit carni cum venerit, mortem efficit cum recedit, quam ne quis putet corporis morte consumi, audiat quid Dominus de hac re in Euangelio generali authoritate definit. Nolite inquit timere &c. Si ergo superstite anima corpus constat occidi. Et propterea consequens necessarium non est, animas corporum internetione consumi: Hoc si ita est, etiam post mortem corporis nihilominus mentibus viuitur.

Vide præterea eundem: Lib. 2. Soliloq. cap. 3. 19. Tom. 10. de Martyri Serm. 13. Lib. 1. de ciuit. Dei cap. 22. de dogmat. Eccles. cap. 18. Athanasius in Definit. cap. de Anima:

Athanasius de Definit.

Anima hominis æternum viuit, & non habet finem.

Idem

Idem Ibidem: Quod immortalis sit anima necessarium est cognoscere: Si enim animam à corpore aliam esse ratio demonstrauit, corpusq; ex natura mortali est, necessarium est animam immortalem esse, eò quòd corpori similitudine non respondeat. Vide eundem in Quæstionibus Quæst. 9. Idem de Definit. cap. de Anima fol. 25. b. c.

Cyrillus lib. 1. Orat. 6. in Esaiam: Quòd non intereant simul cum corporibus animæ cuiq; manifestum est. Cyrillus li. 1. Orat. 6. in Esaiam.

Hilarius in Psal. 64. Qui prædicabit animæ cum corpore occasum, audiat animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei factam, Mortem autem non interitum esse sed discessionem eius à corpore. Hilarius in Psal. 64.

Bernardus Serm. 81. super Cantica: Anima immortalis est, quoniam cum ipsa vita sibi sit, sicuti non est quo cadat à se, sic non est quo cadat à vita. Bernardus super cant. serm. 81.

Cusanus Tom. 2. lib. 5 Exercitationum. multis probat animam esse immortalem, quod & Tom. 1. lib. 2. de ludo Globi facit fol. 231. Cusanus Tom. 2 lib. 1. Exerc.

Philo de mundi opificio propriè dicere licet hominem mortalis & immortalis naturæ esse, Confinium vtriusq; quantum necesse esset participem, factumq; mortalem simul & immortalem, mortalem iuxta corpus, iuxta mentem immortalem. Philo de mundi opificio.

Aeneas Gazeus in Theophrasto.

Aeneas Gazeus in Theophrasto : Certè Deus nullam earum quæ sunt rationis compotes substantiarum mortalem fecit. Qui igitur factum est vt suam hanc legem transgrederetur cum nostram animam crearet, quam etsi non communi secum substantia donauit, similem tamen quandam suiipsius imaginem fecit.

Lactantius lib. 3. cap. 18. de falsa sapient.

Lactentius Lib. 3. de Falsa sapientia : cap. 18. Docent diuinæ literæ non extingui animas, sed aut pro iustitia præmijs affici, aut pœna pro sceleribus sempiterna. Nec enim fas est, aut eum, qui sceleratus in vita feliciter fuerit effugere, quod meretur aut eum qui ob iustitiã miserrimus fuerit, sua mercede fraudari. Idem Lib. 7. de diuino præmio cap. 7. Immortales esse animas Pherecydes & Plato disputarunt. Hæc vero propria est in nostra religione doctrina.

Dionysius Areop. De diuinis nom.

Idem Lactantius sic Lucretium allegat. Cedit idem retro de terra, quod fuit ante in terram. Sed quod missum est ex æthereis oris, id rursum cœli fulgentia templa receptant.

Dionysius Areopagita Pauli discipulus in libro de diuinis nominibus (si tamen is verus est Dionysius) cap. 0. inquit : Anima rationalis postquam incepit esse semper est : Capite 4. rursus ait :

Post

Post illas clarissimas mentes, id est, post Angelos, animæ & quæcunq; sunt bona animarum sunt propter bonitatem supremè bonam, id est bonitatem diuinam, & habent substantialem vitam inconsumptibilem.

Origenes in Comment. super Cant. Vbi afforet Dei iustitia, bonorum merces malorum supplicia si anima mortalis est. Origines super Cant.

Ambrosius in libro Examerôn: Qui rationales animas immortales esse dubitat, alienus proculdubio à seipso est. Ambros. Exam.

Augustinus Lib. 14. de Trinit. cap. 3. Absit vt animæ natura sit immortalis, ab initio quo creata est deinceps esse is desistat.

Idem lib. 15. de Trinit. cap. 24. Placuit optimo & sapientissimo conditori, vt Spiritus hominis Deo piè subditus, habeat fœliciter subditum corpus, & sine fine permaneat ipsa fœlicitas.

Cassiodorus in libro de Anima cap. 3. Anima hominis vt veracium authorum consentit authoritas, à Deo creata spiritualis, propriaq; substantia, sui corporis viuificatrix, rationalis quidem & immortalis. Cassiodorus cap. 3. de Anima.

Hieronymus in Dialogo de Orig. Animæ: Esse animas immortales non tantũ diuini sed & Philosophorum pleni sunt libri. Quid enim aliud monuit Ambraciotam Cleombrotũ Platonis librũ Socrate Hieronymus in Dial. de Orig. Anim.

disputante legentem, vt se de altissimo deiceret muro, nisi quia animas post mortem ferri in cœlum didicerat: Ita Cato lecto nocte ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet stricto gladio apertum pectus, transfixit vt immortalitate potiri citius posset.

Augustinus hoc Cleombroti facinus ita refert Lib. 1. De ciuit. Dei cap. 22. Cleombrotus lecto Platonis libro, vbi de immortalitate animæ disputauit, se præcipitem dedit de muro, vt ex hac vita migraret ad eam quam credidit esse meliorem:

Viues de eodem addit. Hic fuit Ambraciota qui lecto Platonis Phædone de immortalitate animæ, vt ex hac vita quæ est veluti mors quædam ad immortalitatem migraret è muro se in mare deiecit præcipitem, cum nihil ei mali contigisset, vt Cicero Author est in primo Tuscul. Quæst.

Callimachus. *Callimachus tale in eum Epigramma Græcum latine versum scripsit:*

Vita vale, muro præceps de lapsus ab alto
Dixisti moriens Ambraciola puer
Nullum in morte malum credens: sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

Ammonius in proœmio Porphyrii. *Ammonius in Proœmio in Porphyrium hanc causam affert cur se Cleombrotus ex alto præcipitauerit*

tauerit quòd definitionem Philosophiæ cum legeret, qua definit Plato φιλοσοφίαν μελέτην θανάτου, arbitratus Platonem loqui de hac animæ & corporis dissolutione, sese è muro præcipitauit. Hos vero Callimachi versus ita expressit Ammonij interpres.

Mœnibus ex altis ad Regna Cleombrotus Orci
Ambraciota puer corpore desilijt:
Nulla foret quamuis scelera & occasio mortis
Scripta Platonis ei sed peperere necem.

Accedamus nunc ad vltimum ordinem nostræ confirmationis in quo demonstrabimus animæ humanæ æternitatem naturaliter nobis esse ingenitam, ac proinde solis rationibus à naturali intellectu petitis comprobari.

In hoc autem tractatu hunc ordinem sequar, vt primùm ostendam Animæ humanæ immortalitatem naturaliter nobis esse ingenitam.

Secundò Rationibus ex Platone petitis.

Vltimò Rationibus ex Aristotele petitis.

Ac quod ad primum attinet animæ æternitatem naturaliter nobis ingenitam esse tribus signis ostendo. I.

Primum sumitur à Religione quæ est propria & naturalis homini.

Secundum sumitur à statu naturæ & statu Legum.

Tertium sumitur à vita & moribus bonorum

& Sapientum qui sapientiæ studium vitæ sanctitati coniunxerunt.

Rationibus a naturali intellectu petitis confirmatur animam æternam esse.

Primus Syllogismus à Religione quæ homini propria est & naturalis extruitur hoc modo.

Si religio hominibus naturaliter est indita, fides quoq; & credulitas De Deo, de futura vita, & de animæ immortalitate naturaliter homini ingenita est.

Sed Religio hominibus naturaliter est indita. Eapropter & fides atq; credulitas de Deo de futura vita, & de animæ immortalitate naturaliter ingenita est.

Connexum hypotheticum perspicuum est. Nulla enim religio sine fide, & credulitate existere vnquam potest: Ac proinde fundamentum omnis religionis fides est. Iam verò si fides & religio coniuncta sunt, necesse est eos qui aliquam religionem naturaliter ingenitam habent, habere quoq; fidem & credulitatem naturaliter ingenitam. Omnis autem religionis primum & præcipuum fundamentum est, Deum cole: Quemadmodum enim in naturali habitu primorum principiorum speculabilium, quæ statim audita approbamus, primum, & firmissimum principium est hoc: Contradictoria simul vera non sunt: ita in habitu primorum principiorum practicorum, primum & firmissimum principium est: Ἀθανάτως

Pythagor. in Aureo carmin.

πρῶτα

πρῶτα θεὸς εὐσέβει. *In primis Deos immortales cole.*

Deinde parentes dilige: Iam verò si religio naturaliter ingenita est homini: & eius fundamentum & primum principium practicum est Deos fide venerari: sequitur id quod diximus, nimirum animam esse æternam, naturaliter nobis esse ingenitum hoc modo. Quia quicunq; Deum verè colunt, ideo colunt, quòd inspecta naturæ humanæ excellentia super omnia bruta ad imaginem, similitudinemq; illius se esse factos naturali lumine intellectus cognoscunt: Certum est verò hominem non esse similem Deo secundum corpus cum hoc sit mortale, ille æternus. It sequitur ergo vt naturaliter credatur hominem esse similem Deo secundum animam, Et per consequens animam esse æternam. Secundò: Deum colentes duo hæc naturaliter norunt, Deum esse, & eum se colentibus benè facere, non colentibus rursus pœnas irrogare, aliàs vanè Deum colerent, qui hæc nō nossent.

Sed videmus in hoc seculo sæpe ijs qui Deum colunt malè esse, cum cōtra ijs, qui impij sint magna sit fortunæ vtriusq; affluentia. Si ergo Deū colunt naturaliter, qui Deū esse credunt naturaliter, sequitur vt naturaliter ingenitū habeant Deum in futura vita illis retributurū quod in præsenti differri oculis vident. Hoc est quod Orpheus in suis canit Hymnis. Si diuina virtus elementa suis quæq; distribuit locis.

Si rebus quibuſq; vel minimis pro ſua cuiuſq; natura partitur munuſcula, cur non hominibus etiam pro meritis loca præmiorum ſuppliciorumq; diſpartiatur? Conſtat modo connexum eſſe perſpicuum.

Aſſumptum habet, Religionem *naturaliter hominibus eſſe inditam*: *Quod probatur ex eo, quia ſolus homo in mundo hoc ſenſibili intellectu præditus eſt, quo attingit non ſolum res corporeas ſed & incorporeas: Deinde quia vt Ait Ariſt. lib. 1. Ethicorum, Omnes hominum opiniones, inuentæ inſtituta & mores, tempore mutantur, & leges contrariæ eodem tempore diuerſis inſunt generibus, quæ alijs turpia, alijs honeſta videntur: Religio autem ſemper fuit, eſt, & erit: quod manifeſtiſſimum eſt ſignum Religionem homini natus raliter eſſe inſitam, vt interea taceam quod Plato in Prothagora affirmat, homines etiam antequam congregarentur, vel communia conſererent colloquia, vel artes aliquas exercerent, ſtatim ab initio, ob naturalem cognitionem Deum adoraſſe, arasq; & ſacra feciſſe, quod & Paulus Rom. 1. verſ. 20. 21. teſtatur.*

Secundus Syllogiſmus ex ſtatu naturæ & ſtatu Legum connectitur hoc modo.

Secunda ratio a naturali intellectu petita.

Si homines non ex conditis, & ſcriptis legibus, ſed ſolo rationis dictamine viuentes, ante omnem ſcriptu-

scripturam, & leges scriptas, quales fuerunt homines ante Legem Mosaicam ante Aegyptiorum, Persarum, Graecorum, Romanorum leges, crediderunt animæ humanæ immortalitatem: Et si Legum conditores in primis Dei cultum, posteà honestam vitam subditis imposuerunt: sequitur animæ immortalitatem naturaliter esse hominibus ingenitam.

Sed antecedens verum est

Verum igitur & consequens.

Connexum est manifestum. Si enim homines illi in eo naturæ statu, cum nihil quicquam de religione scriptum proditúmve fuit, solo intellectus lumine animam crediderunt esse immortalem. Et si omnes Legumlatores hoc in primis suaserunt, vt homines Deum colerent, & honestè ac iustè viuerent vtiq; sequitur eos ideo hoc in primis feciſſe quòd præmium vitæ honestæ repositum esse crediderunt.

Assumptum probatur: Quia Orpheus & Hesiodus poëtarum qui de diuinis rebus scripserunt, vetustissimi, de animarum immortalitate expressè multa scripserunt.

Teste autem Platone in Prothagora homines antequam Politias & congressus instituerent, iam tum futuræ vitæ gratia, sacra celebrabant, Deos colebant, & aras extruebant. Quare sequitur animæ immortalitem naturæ quoq; statum optimè nobis ob oculos ponere.

Tertius Syllogismus à vita & moribus bonorum extruitur hoc modo.

Tertia ratio.

Si omnes sapientes, qui sapientiæ studio incredibilem quoq; vitæ sanctimoniam, & mores diuinos coniunxerunt, dictamine rationis erga Deum & proximos se piè gesserunt, credibile est eos ideo feciſſe, quòd vitam post hanc aliam sperauerint.

Sed antecedens verum est

Verum igitur & consequens.

Connexum optimam veritatis vim habet: Quid enim quæso aliud mouit sapientes illos, & iuxta dictamen rationis viuentes, vt sapientiæ incredibilem vitæ sanctitatem coniungerent, quàm vt vitam post hæc secula beatam adipiscerentur. Ita Aegypti sacerdotes, item Druidæ Gallorum & Cybeles sacrifici, seſe castrantes vitæ sanctitati studebant.

Hermes ille Trismegistus antiquissimus sapiens & sacerdos apud Aegyptios sapientiæ coniunxit vitæ probitatem.

Scribit Plato in Alcibiade Regios pædagogos apud Persas, sapientissimos, iustissimos, temperantissimos fuisse, qui filios regis Persitorum hoc ordine eruditebant. Vt Primus Zoroastris Magiam doceret in qua Deorum cultus comprehenditur, ob id apud eos appellabatur docta religio: Secun-

dus

cundus ad veritatem instituebat. Tertius à cupiditatibus retrahebat: Quartus fortitudinem docebat: quæ omnia eo profectò spectabant, vt iustè & honestè ac futuro seculo dignam traducere vitam valerent.

Quid de Pythagora dicemus? qui totius virtutis & honestissimæ vitæ regulam in versibus illis notis (si tamen eius sunt) tradidit? Socrates verò adeò virtuti deditus fuit, vt primus è cœlo Ethicam deduxisse crederetur. Platonem Varro, & Apuleius in tantum euehunt, vt (quia ad secreta rerum diuinarum tantopere penetrauerit) Dijs simillimum esse doceant. Xenocratis vitam ait Diogenes fortitudinis & sanctitatis esse exemplar. Quid Demosthenes ait? Postq; Platonem & Xenocratem audiuisset de animorum æternitate disputantes dixit se honestè malè mori quàm turpiter viuere. En itaq; quam sit verum quod dicimus appareat, nimirum, sapientes viros ideò sapientiæ studio sanctimoniam vitæ coniunxisse, quòd naturaliter ingenitam habebant animorum immortalitatem, quam ipsi auidè xpectabant. Et huc commodè applicari poterit exemplum Cleombroti quod paulò superiùs ex Hieronymo et Augustino attulimus.

Assumptum ex prædictis fidem sibi facit.

Sequitur

Sequitur nunc vt inſpiciamus Platonem quibus ille rationibus animarum, immortalitatem ſtabiliat.

Quò faciliùs cognoſcamus quibus rationibus ſtabiliat Plato immortalitatem animarũ, ſciendum eſt totam eius de æternitate animarum diſputationem ad hæc quatuor capita poſſe referri.

Primò ad earum Creationem.

Secundò ad operationem & modum operandi in corpore.

Tertiò ad ſtatum & conditionem animarum malarum poſt diceſſum à corpore.

Vltimò ad ſtatum & conditionem bonorum. Has itaq; rationes ex Platonis libris petemus.

Ex Platone probatur animæ immortalitas.

Locus primus,

De Animarum creatione ex Platone.

Plato in Timæo hiſtoriam formationis hominum deſcribens, productionem animæ Deo ſummo attribuit, Corporis verò & animalium creationem Dijs minoribus.

Inquit ergo: Tria adhuc genera mortalium nobis generanda reſtant. Abſq; horum generatione cœlum imperfectum erit: Omnia enim animantium genera ambitu ſuo non continebit. Conti-

tine-

tineat autem oportet si mundus est omninò futurus perfectus. Hæc verò si à me fiant solo, vitaq; donentur, Dijs adæquabuntur. Quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generationem, ita vt vim imitemini meam qua in ortu vestro sum vsus, atq; eiusdem animalis, quod in ipsis tale futurum est, vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumq; vocetur, principatumq; teneat, & iustitiam simul, ac vos colat, ego vobis semen & initium, id est, animam tradam, vos cætera id est, corpus, exequi par est, vt immortali naturæ mortalem attexentes faciatis generetisq;. Mox paulò inferiùs ait.

Anima secundum platonē summo Deo condita.

Itaq; Dij secundi accepto ab illo (scilicet Deo maximo) mortalis animantis immortali principio, hoc est, anima: sui effectorem imitati ignis, aëris, aquæ, terræ particulas interse copulabant, et ex omnibus in vnum corpus efficiebant, atq; in hoc tum influente tum effluente corpore animæ diuinæ circuitus alligabant.

In Phædone. Mentes cæleſtes sunt immortales sic & rationales animæ immortales quidem sunt omnes quia Deo immortali persimiles sunt.

Ex his Platonis verbis sequentem conficio conclusionem.

Si animæ rationales ea conditione sunt à Deo summo conditæ, vt diuinæ naturæ, hoc est,

hoc est, principij sui participes sint, æternæ sunt & immortales.

Sed ex Platonis sententia animæ rationales omnes eiusdem sunt principij, a summo Deo conditæ, & participes diuinæ naturæ.

Ergò omnes animæ rationales sunt immortales.

Connexum hypotheticum perspicuum est: Si enim animæ, vt dicit Plato, ad diuinam summi illius similitudinem sunt conditæ, & peculiariter ideo in corpora à Dijs secundis formata immissæ à summo Deo, vt immortalis animæ creatione se à secundis dijs discerneret, sequitur vtiq; animas immortales esse.

Assumptum ex Platonis verbis fidem sibi facit.

Locus secundus,

De Animarum operatione in corpore ex Platone.

In Phædro sic scribit Plato: Oportet autem nos prius de natura animæ diuinæ & humanæ affectus & opera intuentes vera nouisse. Hoc verò demonstrationis eius principium sit.

Anima omnis scilicet diuina & humana immortalis est. Quod enim semper mouetur immortale est. Mox sic:

Cum igitur appareat immortale esse quod seipsum

ipſum mouet, animæ ſubſtantiam & rationem hanc ipſam qui dixerit non erubeſcat.

Idem Plato in Timæo in hunc ſenſum loquitur:

Quando anima vegetat corpus nutritione & augmento, & generatione, producitur ſimile in ſpecie, per corpus operatur.

Sunt enim determinata organa, quibus ſic operatur.

Quando imaginatur aut cogitat aut memoratur, operatur per corpus, quoniam interiores ſenſus in capite diſtinctis locis ſituantur.

Quando verò per intelligentiam ſpeculatur, & ſine corpore & auxilio corporis operatur. Intelligit enim intellectus ſeipſum & vniuerſale ſine organo quoniam vt experimur nulla ius animæ alligata organa attingit niſi ſingulare.

Ex his verbis ſequentem conficio

Concluſionem.

Secunda Platonis ratio.

Si omnia (licet per facultatem vegetatiuam, & ſenſitiuam & imaginatiuam operetur organo corporis, & corpus informet ac foueat nihilominus tamen per intellectum ſine corpore ſemper moueatur per ſeipſum) abſq; omni organo propter operationem organicam mouetur ſemper per ſe & operatur ἐνεργητικῶς, immortalis eſt & æterna anima:

Sed iuxta Platonem præter organicam operationem anima à ſeipſa ſemper mouetur.

Ergo anima immortalis eſt. Con-

Connexum manifestum est : Quia si anima sine corpore potest operari, moueri semper per se, potest etiam sine corpore existere.

Assumptum ex verbis Platonis planum & firmum est.

Locus tertius.

De Animarum damnatarum conditione & statu post discessum à corpore ex Platone.

Conditio animarum reproborum post mortem.

Platonis Socrates in Phœdone post longam disputationem sic ait : Anima mortem quidem vt in superioribus constat non recipiet, quemadmodum ternarius nunquam vt diximus par erit, neq; par erit impar, &c. Imminente igitur homini morte quod mortale quidem in eo interit, quod verò immortale, incorruptum sospesq; morti subiacet.

Idem : Lib. 10. de Repub. Animas sceleratorum, & earum statum post mortem in exemplo Ardei cuiusdam qui patrem vt fratrem occiderat sic describit. Vidimus cum Ardeo & alios & omnes fermè tyrannos, & priuatos nonnullos, qui magna scelera perpetrauerant, quos assensuros se propemodum confidentes hiatus ille minimè permittebat.

mittebat. Aderant illic feroces quidam viri aspectu ignei, qui Ardieum manibus & pedibus & ceruice vinctis prosternebant, excarnificabantq;.

Idem in Phædone, Si anima inquit pollutaq; impuraq; decedit vtpote quæ corpus semper amplexa, ipsum duntaxat coluerit & amauerit, eiusq; voluptatibus & libidinibus, quasi quibusdam veneficijs delimata fuerit, & vsq; adeo capta vt nihil putet esse verum nisi quod corporeum sit. Quod verò oculis quidem occultum & inuisibile sit, & tamen intelligibile & Philosophia comprehendendum odio habuerit hos affectus secum trahit, & grauatur, & ad visibilem retrahitur locum, metu invisibilis atq; occulti:

Idem ibidem, Qui verò ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas vel alia horum similia perpetrauerint, hos omnes conueniens sors mergit in tartarum, vnde nunquam egrediuntur.

Ex his sequentem conficio Conclusionem.

Si sceleratorum hominum animæ post funera corporum in profundum tartarum demerguntur, ibiq; Ardiei modo cruciantur, & excarnificantur, & inde liberari nunquam possunt immortales sunt animæ sceleratorum. Tertia ratio Platonis.

Sed Plato censet animas sceleratorum post

mortem perpetuò cruciari: Ergo animæ sceleratorum immortales sunt.

Locus quartus.

Conditio animarum sanctarum post mortem.

De Animarum sanctarum statu post mortem ex Platone.

Plato in Phædone animabus eorum, qui piè sanctéq; vixerunt in nullo tamen Philosophandi genere exercitati sunt, sublimem in æthere purissimo locum assignat. Ait enim: Qui præ cæteris piè vixisse inueniuntur, hi sunt qui ex his terrenis locis, tanquam ex carcere soluti, ad altiora transcendunt, puramq; super terram habitant regionem.

De eorum verò statu qui & sanctè vixerunt & Philosophia sese excoluerunt sic scribit in eodem Phædone: Inter hos autem quicunq; satis per Philosophiam purgati sunt, absq; corporibus omni no totum per tempus viuunt, habitationesq; his etiam pulchriores acquirunt, quarum pulchritudo neq; facilis dictu est, neq; præsens tempus ad dicendum sufficeret.

Horum felicitatem sic posteà describit. Quicunq; purgatus atq; initiatus illuc accesserit cum Dijs habitat. Et paulo inferius: Si anima pura discesserit, ad aliquid sibi simile diuinum abijt, diuinumq;

diuinumq3, & immortale & Sapiens, quò cum peruenerit euadit fœlix, ab errore, dementia, timoribus, duriq3 amoribus, cæteriq3 humanis liberata malis.

Rursus lib. 10. de Repub. sic scribit. Tunc demum veram naturam ipsius animi contemplabimur, agnoscemusq3 vtrum varia sit an simplex qualisue sit omnis eius conditio.

Ex his sequentem conficio conclusionem.

Quarta ratio ex Platone.

Si animæ sanctorum hominum & sapientum post funera corporum ad Deorum consortium eleuabuntur, vbi perfecta cognitione perficiuntur non est anima mortalis.

Sed anima sapientum & sanctorum hominum Platone teste attollentur post mortem corporis ad consortium Dei.

Ergo animæ sapientum sanctorum non sunt mortales sed potius æternæ atq3 immortales.

Connexum manifestum est nec vlla indiget explicatione. Assumptum expressis Platonis nititur verbis.

Itaq3 ex his in vnum collectis, ex authoritate Platonis constat animas esse immortales.

III. Vltimus ordo sequitur nostræ demonstrationis in quo demonstrandum est, quibus rationibus Aristoteles animæ immortalitatem stabiliat.

Quæsitum est à multis, an Aristoteles ex propria sententia directè censuerit animam rationalem esse immortalem, alijs id negantibus, alijs verò affirmantibus.

Cait. in lib. 3. de Anim. Scotus lib. 4. Sent. Dist. 4. quæst. 2. Iterneus Quodlib. 1. Quæst. 11.

Alexander Aphrodiseus censuit Aristotelem sensisse animæ mortalitatem, quem sequuntur & alij, vt Thomas Caietanus: Scotus & Herneus Aristotelis interpretes: quos postmodum Petrus Pomponatius secutus multis ex Aristotele Argumentis desumptis conatur ostendere animæ mortalitatem.

Proclus super Platonis Timæ. Themist. in lib. 3. de Anim.

Auerroës tamen contrà, Proclus Platonicus: Themistius, Plethon Platonicus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Egidius Romanus, censent, Aristotelem sine dubio animam immortalem sensisse: Nos itaq; videamus quas ex illius libris isti colligant rationes, pro immortalitate animæ.

Locus primus.

Ex Aristotele probatur animæ immortalitas.

Arist. lib. 3. de Anima text. 20. Separatus autem est solum, in hoc quod verè est, & hoc solum immortale & perpetuum.

Ex hoc loco sequens conficitur conclusio.

Si omnes

Si omnes animæ facultates, præter intellectiuam sunt organicæ, solùm intellectus est separatus ab omni organo in hoc quòd verè est, id est, secundum substantiam, sola animæ facultas intellectiua est immortalis & perpetua. Sed ex sententia Aristotelis solùm anima intellectiua est inorganica, estq; separata ab omni organo corporeo secundum suam substantiam.

Prima ratio Aristotelis.

Ergo anima intellectiua est æterna & immortalis.

Connexum hypotheticum manifestum est ex eo, quòd cum tres sint subiectiuæ animæ facultates, vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, constat solam animam intellectiuam non organicam esse, hoc est, non ita esse alligatam sensibus corporeis, quin sine illis operari per se, & moueri motu proprio non possit.

Iam verò si ex sententia Philosophi intellectiua anima inorganica est, ex eiusdem profecto sententia est immortalis. Quicquid n. in suo esse à corpore & eius organis non pendet, totum id ad corruptionem corporis non corrumpitur, sed suo stat & viuit motu, atq; operatione. Atq; hoc est quod loco fundamenti supponit Aristoteles lib. 1. de Anima cap. 12. & 21. Si inquit animæ aliqua operatio aut passio propria est, continget vtique eam separari, hoc est, manere, & sub-

sistere à corpore separatam, si vero nullam habet operationem propriam, vtiq; non erit separabilis sed corrumpetur cum corpore. Iam verò assumptum habet, quòd anima intellectiua habeat propriam & non organicam operationem, nempè intelligere, quòd expressis Aristotelis verbis nititur. Quare sequitur ex sententia Aristotelis animam immortalem esse.

Locus secundus.

Arist. lib. 2. Tex. 11. apertè sic scribit. Quasdam animæ partes nihil impedit separari à corpore, propterea quod nullius corporis sunt actus.

Ex hoc textu sequentem conficio conclusionem.

Secunda ratio Aristotelis.

Si illas partes animæ contingit separari à corpore, quæ nullius corporis sunt actus, intellectus possibilis æternus est & separabilis.

Sed quasdam animæ facultates quæ non sunt actus corporis contingit separari à corpore.

Ergo intellectus possibilis separabilis & æternus est.

Connexi quæ sit euidentia explico: Aristoteles lib. 1. de Anima textu 4. ait intellectum possi-

possibilem non esse actum corporis, In loco autem prædicto expresè dicit animæ facultatem quæ non sit actus corporis posse à corpore separari. Quare manifestè docet possibilem intellectum separabilem & æternum esse:

Assumptum fidem sibi facit expresso Aristotelis loco.

Locus tertius.

Arist. lib. 2. Text. 18. 19. 20. 22. Quærit vtrum vnum quodq; harum animæ potentiarum Vegetatiua, sensitiua, intellectiua & locomotiua, quas omnes intellectiua concludi docuit, sit anima an pars animæ, & si pars animæ vtrum sint separabilis intellectus ab alijs potentijs sola ratione vel etiam loco. Respondet hoc modo de intellectu, & speculatiua, siue perspectatiua facultate nihil adhuc est manifestum: sed videtur genus alterum animæ esse & hoc solum contingere separari sicut incorruptibile & perpetuum à corruptibili.

Ex hoc loco sequentem conficio Conclusionem.

Si anima intellectiua secundum suum esse separatur à reliquis facultatibus, tanquam incorruptibile à corruptibili, anima intellectiua incorruptibilis & æterna est. Tertia ratio Aristotelis.

Sed iuxta mentem Aristotelis anima intel-

lectiua separabilis est à reliquis facultatibus tanquam incorruptibile à corruptibili.

Ergo anima intellectiua æterna & immortalis est.

Locus quartus.

Arist. lib. 2. de Gener. Animal. cap. 3. scribit intellectum non educi ex potentia materiæ sed extrinsecus aduenire.

Ex hoc loco sequentem conficio Conclusionem.

Quarta ratio Aristotelis.

Si anima intellectiua non educitur ex potentia materiæ, sed deforis aduenit, incorruptibilis est, & æterna.

Sed ex sententia Aristotelis anima intellectiua deforis aduenit, neq; educitur ex potentia materiæ.

Ergo anima rationalis est incorruptibilis & æterna.

Connexum manifestum est. Nam illæ solæ formæ corruptis subiectis, sine materia corrumpuntur, quæ ex materiæ potentia sunt eductæ.

Assumptum fidem sibi facit expresso Aristotelis loco.

Locus quintus.

Arist. lib. 12. Metaphys. Tex. 16. & 17. Cum causæ formales non sint ante materias quærit, an aliqua forma possit manere post materiæ corruptionem

ptionem? Et respondet quòd in quibusdam nihil prohibet, si est anima talis, non quidem omnis sed intellectiua, quæ vera est hominis forma.

Ex hoc loco sequentem conficio

Conclusionem.

Si anima vera hominis forma, post materiam hominis, puta corpus, remanere potest, immortalis est anima. Quinta ratio Aristotelis.

Sed ex sententia Aristotelis forma hominis puta anima post corpus corruptum potest remanere.

Ergo anima intellectiua æterna est ex incorruptibilis.

Connexum manifestum est nisi si quis obijciat Aristotelem conditionaliter loqui ac proinde nihil statuere, sicut etiam lib. 1. de Anima Tex. 65. dubitatiuè loqui videtur cum ait videtur intellectus quædam substantia esse & non corrumpi. Sed hæc obiectio nullam vim habet, Quia verbum videtur sæpe pro apparet & manifestū est, ponitur, vt in illo Porphyrij dicto: Videtur autem neq; genus neq; speciem simpliciter dici: vbi Ammonius exponit, Apparet, & manifestum est. Ex his omnibus collectis apparet ex sententia quoq; Aristotelis Animam æternam & immortalem esse.

Nunc soluamus vulgatam illam

obiectionem.

Aristoteles lib. 3. de Anima cap. 30. absolutè

dicit. Anima inquit nihil intelligit sine phantasmate. Hinc illud: Oportet intelligentem Phantasmata speculari.

Obiectio.

Ex hoc dicto Aristotelis sic obijcitur.

Si anima intellectiua sine Phantasmate nihil potest intelligere, corrupto corpore & Phantasia, corrumpi intellectum necesse est, non enim amplius potest intelligere, & per consequens nec esse. cum esse intellectus, sit eius intelligere.

Sed anima intellectiua nihil intelligit sine Phantasmate, Ergo Anima intellectiua corruptibilis est. Ad hoc argumentum multi multa respondent.

Iauellus ait quòd Aristoteles in libris de Anima non considerat animam intellectiuam nisi Physicè, quatenus actuat corpus Physicum. Libri enim de anima sunt pars scientiæ Physicæ, Quare Aristoteles ibi non tractat de anima quatenus est à corpore separata: Itaq; dictum Aristotelis pertinet tantum ad animæ & corporis coniunctionem, tunc enim vtitur anima plerunq; in intelligendo ope Phantasmatum.

Responsio itaq; placet, vt dicamus hoc Aristotelis Axioma eatenus posse referri ad animam, quatenus naturaliter intelligit, hoc est cum Phantasmate dum in corpore manet. Sed intelligere animæ quod sit post mortem corporis, non est naturalis

turalis verùm præter naturam: Sicuti enim ignis duplicem habet motum vnum naturalem, quo sursum mouetur, alterum præter naturam quo mouetur circulariter sub orbe Lunæ, nec tamen ex hoc motu vllum naturæ suæ sentit detrimentum: Ita anima dum in corpore est naturaliter intelligit ope Phantasmatum, præter naturam verò relicto corpore intelligit sine Phantasmate nec hinc vllam naturæ suæ sentit corruptionem.

Ex his omnibus hactenus disputatis nostræ Thesis veritas extra omnem dubitationem collocatur, nempè Animam rationalem ita prorsus esse æternam & immortalem vt nec per se neq; per accidens corrumpi possit.

CAPVT XV.

SI ANIMÆ RATIONALES post funera corporum sunt immortales & æternæ: Anne igitur relicto corpore vno in aliud post eius mortem transeunt?

ANtiquissima est opinio, falsissima tamen, μετεμψύχωσις, *hoc est animarum trãsmigratio: in qua duplici ordine antiquos hæsisse video:*

videó: Quidam enim animas hominum in corpora rursus humana transmigrare existimarunt. Quidam vero portentosè præsumserunt non in humana modo corpora, sed & in bestias atq; bruta hominum mortuorum animas transire. Hic error Iamblico & Herodoto teste apud Ægyptios originem sumpsit, qui ob eam causam ab esu animalium abstinebant ne simul cum corporibus humanas vorarent animas:

Putabant enim stulti illi homines, eandem animam tum, hominem, tum verò bouem, & canem, & auem, & piscem induere, quæ ipsa quemadmodum eorum fert opinio, modo ceu brutum animal humi pascitur, modo in piscem collapsa, modo in balenam & rumbum conuersa, in aquis viuit, rursus in naturam auis traducta, monedula, aut luscinia apparet, & in aëre volitat, deniq; in aliud atq; aliud animantium genus versa, tandem peragratis omnibus, eo rursus vnde erat digressa recurrit. Ab Aegyptijs Pythagoras ille Samius hunc errorem ebibit, qui persuadere totis animis conatus est, animas mortuorum in alia corpora subinde transmigrare: Vnde fertur Pythagoras meminisse se Euphorbum ad Troiam fuisse. Empedocles quoq; non solùm asseruit animas in humana demigrare corpora, sed etiam portentosè præsumpsit, eas posse in bestias transferri; Apollonius Thyaneus, Pythagoræ imitator

eandem

eandem mordicus tenuit sententiam, qui Græcis referebat, de ijs qui apud Indos essent sapientibus, quod illi nossent quinam olim ipsi fuissent. Nec Plato immunis fuit ab hoc errore dementi, qui Socratis cum Phædone colloquium persequens, animas eorum, qui ab auaritia in transuersum rapti, & ad prædam prompti semper & parati fuissent, in miluos & lupos transformari ait, qui verò fœdis libidinibus, sese dedissent, eorum animas in asinos conuerti docet. Censet enim ille lib. vlt. de Repub. Electionem transmutationis magna ex parte iuxta vitæ prioris mores fieri. Sic ait Orphei poëtæ animam in Cygnum canorum transiuisse, neq; voluisse in fœminam transmutari, quòd in vita sexum illum oderat: sic animam Thamiris in Philomelam, Aiacis in Leonem, Agamemnonis in Aquilam, Therſitis in Simiam transmigrasse. Ac vt summatim persequar. Homines diuidebat in malos & sceleratos atq; in bonos & iustos. Ac malorum animas continuò à morte corporis censet reuolui ad alia corpora, & pœnas hic luere his gradibus vt quæ anima hic multa viderit induat Philosophum, huic proxima, Legitimum regem, aut imperatorem, ac strenuum virum, Ex tertio ordine fiant Magistratus, & Patresfamilias, ex quarto aliptæ & medici, ex quinto vates & mystæ, Ex sexto Poetæ, ex septimo opifices & agricolæ, ex octauo Sophistæ & auari

Platonis sententia de animarum transmutatione.

auari, ex nono tyranni. Hoc peracto cursu, post decem millia annorum ad eum locum vnde exierat prius regreditur anima opinione Platonica, excepta ea quæ sine dolo Philosophata fuit. Huic enim si ter ad prædictum vixerit modum, ter millenos sufficere ait annos. Hæc Platonis est opinio de transmigratione animarum. Plotinus & Harpocration, itemq; Boëthus, & Numerus, Platonis sectatores, aiunt animam priusquam cum aliquo corpore coniungatur, posse eorum quæ ratione carent animantium assumere, ac cuicunq; similis facta fuerit secundum eius naturam ferri. Hos secuti Porphyrius & Iamblicus, itemq; Proclus paulò aliter sententiam Platonis mitigarunt: Aiunt enim animantia quidem bruta habere propriam animam ratione destitutam, humanam tamen huic adhærere, idq; ita, vt prudentiori animanti prudentioris hominis anima, clamoso clamosi, adiungatur, vt Vlyssis formicæ, Cleontis clamosi ranæ, & sic consequenter.

Hæc Ouidius lib. 15. transformationum his versibus expressit.

Ouidius lib. 15. Metam.

Morte carent animæ semperq; priore relicta
Sede, nouis habitant domibus, viuuntq; receptæ,
Omnia mutantur, nil interit, errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eq; feris humana in corpora transit

Inq;

Inq; feras noster, nec tempore deperit vllo.

Et Claudianus libro 2. in Ruffinum:

Nam iuxta Rhadamāthus agit, cum gesta superni
Curriculi, totosq; diu prospexerit actus,
Exæquat damnum meritis, & multa ferarum
Cogit vincla pati: truculentos ingerit vrsis:
Prædonesq; lupis, fallaces vulpibus addit.
At qui desidia semper, vinoq; grauatus
Indulgens veneri voluit torpescere luxu,
Hunc suis immundæ pingues detrudit in artus,
Qui iusto plus esse loquax, arcanaq; sueuit
Prodere, piscosas fertur victurus in vndas,
Vt nimiam pensent æterna silentia vocem.

Hæc Philosophorum deliria Marcionitæ Priscillianistæ, & præsertim Tertullij hæretici teste Augustino lib. 7. de Genesi ad lit. cap. 9. & 11. Diogene Laercio in vita Pythagoræ tanquam per canalem ebiberunt, quorum dogma fuit, scelera-torum hominum animas conuerti in dæmonas, & in animantia ijs vitijs siue turpitudini obnoxia, quibus ipsi vixerant, deq; corporibus in corpora peregrinari: Vsi quoq; testimonio Christi qui animam Heliæ in Iohannem transmigrasse docere ipsis visus est. Ait enim de Iohanne Matth. 11. vers. 14. Ipse est Elias ille qui venturus erat. Quod tamen quid sibi velit, facilè ex eo intelligere poterant quòd interrogatus Ioh. (à Iudæis nimirū qui

vtiq;

vtiq; transmigrationem credebant) num ipse esset Elias, Respondet: Non sum, quippe qui ineptam hanc μετεμψύχωσιν refellens, certò sciebat se Heliam non alia ratione esse, quàm quòd virtutem & spiritum Eliæ sibi communicatam optimè nosset, vt habetur Luc. 1. vers. 17. vt itaq; tandem ex his sordibus euadamus Thesis huius capitis hæc esto.

Dico propriam cuiq; homini ineſſe animam, quæ post mortem corporis neq; in alios homines neq; in bruta transmigrat.

Locus primus.

Gen. 1. vers. 21. Creauit Deus omnem animam viuentem reptantem, quam produxerunt aquæ iuxta speciem suam, atq; omne volatile alatum secundum speciem suam.

Vers. 24. Dixit Deus: Producat terra animam viuentem secundum speciem suam, iumenta & reptilia, atq; bestias, terræ secundum speciem suam:

Ex his verbis sequentem conficio conclusionem.

Si Deus in prima creatione animantium species diuersas, propria forma essentiali constitutas produxit, ac cuiq; peculiarem essendi formam attribuit, nulla est transmigratio animarum in bruta & bestias atq; homines.

Sed

Sed Deus in prima creatione ita omnia animantia produxit, vt iuxta species suas discerneret ac cuiq; propriam & peculiarem formam essentialem tribuit, qua ab alijs distinxit.

Ergo nulla fit transmigratio animarum in corpora brutorum & bestiarum neq; etiam hominum.

Connexum hypotheticum concinnè cohæret. Quid enim aliud ex huiusmodi transmutatione sequitur quàm hominem fieri brutum, & brutum hominem neq; bruto & pecudes diuersas esse rerum species, neq; hominem propria forma substantiali neq; brutum constare propter quam manifesta inter res creatas fieri possit distinctio.

Assumptum ex Mosis verbis manifestum est: ita enim singulas species rerum creare Deus voluit, vt singulas suis proprijs formis substantialibus distingueret. Quare Syllogismus noster vim confirmationis exiguam obtinet.

Locus secundus.

Irenæus lib. 2. cap. 23. sic scribit: De corpore & corpus transmigrationem subuertamus ex eo, quod nihil animo eorum, quæ ante fuerint meminerint animæ: Si enim ad hoc emittebantur vti in omni erunt operatione, oportebat eas meminisse eorum, quæ ante facta sunt, vt in ea quæ deerant adimplerent: Non enim poterat

corporis admixtioni totum vniuersam ipsorum, quæ ante habita erant, extinguere memoriam, & contemplationem.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si animæ post funera propriorum corporum in alio corpore nihil prorsus meminerunt eorum, quæ antè in corporibus emortuis gesta sunt neq; corpora noua admixtione sua omnem animæ memoriam delere possunt, animæ non transmigrant à corporibus ad corpora.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum firmum est nisi si contra Iræneum obijciatur exemplum Apollonis Thyanei & Pythagoræ qui meminerat se ad Troiam Euphorbum fuisse. Et Nicephorus lib. 3. cap. 35. refert narratam à Gregorio quodam Episcopo fabulam, conuersos nempe fuisse nempe in humanam formam porcos, qui antea ex hominibus porci metamorphosi quadam facti erant. Aut forte obijcient Nabugodnazarum qui ex forma humana bouis formam induit. Dan 4. vers. 22. 30.

Sed ad prius illud respondet Augustinus Lib. 12. de Trinit cap. 15. Non (inquit) acquiescendum est eis, qui Samium Pythagoram ferunt, se recordatum fuisse talia nonnulla, quæ non fuerat expertus, cùm hic alio iam fuisset in corpore. Et alios non-

nonnullos narrant alij eiusmodi aliquid in suis mentibus passos. Quas falsas fuisse memorias, quales plerumq; experimur in somnis, quando nobis videtur reminisci quasi egerimus aut viderimus, quod nec egimus omninò, nec vidimus: Et eo modo affectas esse illorum mentes etiam vigilantium instructu spirituum malignorum atq; fallacium, quibus curæ est de reuolutionibus animarum falsam opinionem ad decipiendos homines firmare vel serere, ex hoc conijci potest, quia si verè illa recordarentur, quæ hic in alijs antea positi corporibus viderant, multis ac penè omnibus, id contingeret: quandoquidem, vt de viuis mortuos, ita de mortuis viuos, tanquam de vigilantibus dormientes, & de dormientibus vigilantes sine cassatione fieri suspicantur. Hactenus Augustinus.

Ad posterius quod attinet sciendum est aliam esse dispensationis diuinæ rationem, alium rursus ordinem singulis creaturarum generibus attributum. Non enim ex eo quod vinum in aquam semel Dominus mutauit, & Lazarum è mortuis suscitauit colligendum est vinum perpetuò ita posse trasmutari & mortuum quando vult surgere quare cum alij sint limites rerum humanarum, alia deniq; signa diuinæ virtutis & potentiæ, alia quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt, ea quæ sunt secundum naturæ cursum sedulò distinguenda sunt ab ijs quæ extra ordinaria virtute diuina perficiuntur.

Locus tertius.

Psal. 33. Qui (Deus finxit sigillatim corda eorum.

Athanasius Lib. Quæst. 35. Quemadmodum agni à matribus vespere separati, & mane rursus admissi, recta singuli ad matrem suam sua naturæ trahuntur: sic: etiam cum animabus in resurrectione futurum esse sentiendum est.

Irenæus lib. 2. cap. 62. Quemadmodum vnusquisq; nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic & suam habet animam. Nec enim sic pauper, & indigens Deus, vt non vnicuiq; corpori, propriam daret animam, quemadmodum & proprium characterem. Et ideo adimpleto numero, quem ipse apud se definiuit. Omnes quicunq; sunt descripti ad vitam resurgent sua corpora & suas habentes animas.

Augustin. De Spiritu & litera: cap. 49. Nec duas animas credimus esse in vno homine. sicuti multi scribunt vnum animalem qua animetur corpus, & mixta sit sanguini, & alterum spiritualem quæ rationem ministret. sed dicimus vnam eamdemq; esse in homine quæ & corpus sua societate viuificet, & seipsum sua ratione disponat.

Ex his testimonijs sequentem conficio conclusionem.

Si Deus singillatim vnicuiq; homini propriam creat

creat & infundit animam, & si post resurrectionem vnaquæq; suum corpus ceu agni matres agnoscunt, illudq; induunt, neq; vlla hominum corpora anima rationali destituentur falsa est transmigratio animarum in corpora aliena:

Sed antecedens verum est,

Verum igitur & consequens.

Connexi prima pars manifesta est: Nam si vnicuiq; propria & peculiaris inest anima, quæ & corpus viuificat & seipsam sua ratione disponit: atq; ociosam illam necesse est esse quæ posterius ingreditur. ac proinde etiam interire.

Secunda pars connexi euidentissima est: Si enim vnaquæq; anima proprium habet characterem, hoc est eam formam & notam qua anima vnius ab anima alterius corporis distinguitur vt & post resurrectionem non alia non peregrina ingrediatur corpora, sed illud quod sibi anteà assignatum & ceu charactere quodam denotatum fuit: non est profecto simile vero, animas vnius corporis in alia transmigrare, Nam hoc modo multa corpora post resurrectionem propria destituerentur anima.

Assumptum fidem sibi facit Scripturæ & patrum testimonijs. Vnicuiq; enim Deus singillatim finxit animas, quæ non alieno corpori, sed proprio tanquam forma & figura vt ait Irenæus lib. 2. cap. 49. hominis deputatæ sunt. Ob id etiam

Dauid Psal.26.vers.9. *suam animam distinguit & separat, ab anima impiorum, cum ait: Ne congreges cum peccatoribus animam meam, & viris sanguinolentis vitam meam. Et hæc etiam est 4. causa quòd Salomon Sap.8.vers.19. gratuletur sibi animam fœlicem sorte datam esse, quæ omnino distincta sit ab animabus aliorum corporum. Quod ipsum etiam maxima in hominum moribus, affectibus, iudicijs, atq; ingenijs dissimilitudo clarissimè euincit vnde Horatius ait:*

Millia quot capitum veniunt, totidem studiorum
Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno. *Quæ certè diuersitas clarè testatur animas in hominibus diuersis diuersæ conditiones esse, ac proinde singulis nascentibus singulas, dotibusq; differentes infundi animas. Quare sententia Aristotelis, vt falsissima abhorret à vero, à sensu, & ratione, qui sentit intellectum non esse multiplicatum sic vt indicata in quibus existit, sed vnum numero omnium. Nam reuera vniuscuiusq; corpus suo proprio intellectu præditum est atq; ornatum. Ex quibus omnibus in summam coarctatis veritas nostræ thesis extra omnem dubitationem collocatur, nempe propriam singulis hominibus inesse animam, quæ post mortem neq; in alios homines, neq; in pecora, & bestias transmigrat.*

Caput

Caput XVI.

Si anima rationalis neq; interit, neq; post mortem corporum in alia transmigrat corpora: Anne igitur in hoc mundo sub lunari, nostrisque oberrat regionibus?

VEtus est anicularum error, animas corporibus solutas in his regionibus nostris oberrare: Quid? Anicularum? Papicolarum potius, qui profecto bonam dogmatum suorum partem, super hanc animarum apparitionem fundarunt. Vbi enim consisteret purgatorium, vbi Satisfactiones, preces & eleemosynæ pro defunctis, sacrificia missæ, & alia innumera, si mortuorum apparitio excuti, è manibus illorum posset? Verùm enimuero quàm firmo, belloq; nituntur fundamento ex quo quilibet colligere poterit, quòd totus hic riuulus ex cloaca Pythagoreorum & Platonicorum originem ducit, gentiliumq; est propago qui ad mortuorum sepulchra lustrationibus crebrò factis responsa ab eis eliciebant: Hinc Aeneas apud Virgilium,

Salue sancte parens iterum saluete recepti
Nec quicquam cineres &c.

Sed et temporibus Christi apud Iudæos & alios nonnullos locum error iste habuit, quemadmodum apparet Matth. 14. vers. 2. Marc. 6. versu 14. Luc. 9. vers. 7. Vbi Herodes scribitur ad pueros suos dixisse. Ipse est Iohannes ille baptista, ipse surrexit à mortuis & propterea virtutes agunt in eo: Reditum vtiq; animarum Herodes sibi persuasisse ex his colligimus verbis. Tertullianus in libro de Anima capite penult. duo hominum genera affert, Magorum & Hæreticorum, quibus huiusce erroris ignominiam inurit. Ac inter reliquos Magos. Simonem & Elymam magos nominat eorumq; asseclas, qui non modò animas apparere, sed etiam omnium Prophetarum animas ab inferis se reuocare posse spondent.

Galatinus autem lib. 6. cap. 13. testis est: R. Salomonem tradere omnes patrum iustorum, & regum animas, ter in Hebdomade ante aduentum Christi, ad montem Garizim, vbi benedictiones factæ erant conueniisse, & orasse pro aduentu Messiæ: Sed & omnes Prophetarum animas in promulgatione Legis Mosi in monte Sinai adfuisse Rabinos docentes idem Galatinus tradit. Ex quibus facilè quiuis cerebro non prorsus destitutus colligere potest, hunc errorem Gentilium, Pythagoreum, Rabinorum & similium superstitiosorum hominum figmentum esse. Quamobrem, vt aliquid certi ex sacrarum literarum, vetustorumq;

Patrum

Patrum monumentis hac de re eliciamus nostræ Thesis hæc esto.

Thesis.

Dico animas defunctorum hominum secundum vsitatum Dei propositum, & naturæ ordinem, in mundo hoc sublimari non oberrare, neq; à loco in quem semel receptæ sunt ante aduentum Christi ad iudicium redire.

Thesis explicanda primum, deinde confirmanda est. Duo itaq; comprehendo in hac Thesi. Vnum est Animas defunctorum secundum vsitatum Dei propositum & ordinem rerum humanarum non posse in hoc mundo sublimari oberrare, neq; huc redire, vbi expressè addidi propositum Dei in sacris literis expressum: Scimus enim extraordinariè iuxta peculiarem Dei dispensationem id fieri posse, & sæpius factum esse: Nam & Moses atq; Elias apparent cũ Christo in transfiguratione, & Lazari anima, reuocata est, & puellæ filiæ Iairi, atq; filij illius viduæ quam Christus excitauit, & alterius quam Eliseus, & Helias excitarunt, Deniq; in passione Christi multi sancti resurrexisse, atq; redijsse ad nostram hanc regionem dicuntur. In quibus omnibus exemplis peculiaris & extraordinaria fuit diuinæ potentiæ dispensatio.

Alterum est quod dico in thesi animas locum

semel ipsis à Domino assignatum ante aduentum Christi non posse redire quod ita intelligendum volo, vt iuxta Abrahæ verba Luc. 16. neq; reproborum animæ, ad locum animarum sanctarum transire posse affirmem, neq; contra animas sanctorum ad locum reproborum. Deinde ita detineri animas in suis quasq; locis, vt tamen post finem huius seculi redire & corpora assumere concludam. His præmissis restat vt Thesin nostram confirmemus.

Locus primus.

Psal. 102. vers. 15. 16. Hominis sicut herba dies eius, veluti flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransiuit per eum & non est, nec agnoscit eum vltra locus eius.

Iob. 7. vers. 10. Vt deficit nubes & abit, sic descendens ad infernum non ascendet: Non reuertetur vltra ad domum suam, nec agnoscet eum vltra locus.

2. Sam. 12. vers. 23. Dauid suis seruis post pueri sui mortem ait: Vt quid iam ieiunarem? Num potero reuocare eum vltra, Ego vado ad eum & ille non reuertetur ad me.

Ex his testimonijs scripturæ sequentem conficio conclusionem.

Si defunctorum animæ post resolutionem corporum omnibus calamitatibus & miserijs, ita prorsus

prorsus valedicant, vt in posterum ad suos non redeant, neq; locus eorum hoc est populares eos agnoscant in his terris: non oberrant animæ in his regionibus nostris.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum manifestum est: Assumptum expressis scripturæ locis probatur, quorum summa est. Animas defunctorum ad locum suum, hoc est, ad suos populares vt Tremellius per Metonymiam exponit non amplius redire, neq; eos cognoscere qui sunt in terris. Et hoc est quod Athanasius in libro quæstionum: quæst. 11. quærit, num animæ quæ decedunt inuisant hanc vitam rursus. Respondet. Nequaquam: Audi (inquit) Dauid Prophetam de hominibus defunctis dicentem, Homo sicut gramen dies eius, veluti flos agri sic efflorebit Quoniam Spiritus pertransit per eum, & non erit amplius & locum eius non amplius cognoscent.

Locus secundus.

Eccles. 11. vers. 3. Si ceciderit arbor ad Austrum, aut si ad Aquilonem in locum quem ceciderit arbor, ibi erit.

Luc. 16. 24. & seq. Tum clamauit (Diues) pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt mer-

vt mergat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.

Dixit autem Abraham: Fili memento quod receperis bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris. Et super hæc omnia inter vos & nos hiatus ingens constitutus est, vt ij qui volunt hinc transire ad vos non possint, neq; istinc huc transire. Dixit autem ille: Rogo ergo pater vt eum mittas in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres & verificetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum. Dicit ei Abraham. Habent Mosen & Prophetas audiant illos. Ille vero dixit: Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis iuerit ad eos, resipiscent. Abraham autem ait ei. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis suscitatus fuerit credent.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si animabus sanctorum & reproborum prorsus ita à Deo locus designatus post hanc vitam, vt illum vitare neq; possint neq; velint, neq; vllis precibus impetrare vt diuersum statuatur, non oberrant animæ neq; possunt oberrare in his regionibus nostris.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Conne-

Connexum hypotheticum negari non potest. Assumptum fidem sibi facit primum ex loco Ecclesiastæ, vbi allegoricè per arborem (vt sæpæ fit in Scripturis) homo mortuus significatur, cuius hic est status vt quocunq; ceciderit siue in locum beatorum siue in locum reproborum ibi enim manere perpetuò opus sit. Et ita hunc locum exponit Lyranus. Defuncti inquit siue cadant in vitam, siue in mortem, ibi manere eos necesse est. Hoc ipsum & locus Lucæ expressè comprobat vbi Diues tribus vicibus mortuorum de loco suo emissionem extorquens, totidem frustra vicibus repellitur, & simpliciter illi indicatur mortuos statum suum non relinquere, nec posse in sublimari hoc nostro mundo oberrare: Qua certè siue parabola siue historia rei ad viuum gestæ omnis in hac quæstione dubitatio tollitur.

Locus tertius.

Deut. 18. vers. 11. Non inuenietur in te incantator, neq; interrogans Pythonem, neq; Magus, neq; quærens à mortuis.

Esa. 8. vers. 19. Cum dixerint ad vos. Quærite à Pythonibus & à diuinis qui garriunt, dicite illis.

Num populus à Deo suo requiret pro viuis & mortuis.

Ex his Scripturæ locis talem conficio conclusionem.

Si

Si Deus ad tollendos hominum errores, ad coërcendas Satanæ fallacias, & transfigutationes atq; impostura prohibuit ne à mortuis responsa & consilia quærantur, multò magis cauet ne defunctorum animæ in his regionibus oberrent.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum probatur hoc modo: Quia si Deus occasionem præcidit, ne Satanas infinitis impostur is & erroribus homines implicaret. si à mortuis responsa petere permisisset, multo certè magis occasionem ijsdem Satanæ fallacijs præcidit ex reditu animarum ad nostram regionem. Quot enim hinc errores, quot falsa dogmata eliceret Satan, si Deus animas apud nos versari sineret? Quamobrem Athanasius lib. Quæst. Quæst. 13. quærit. Nunquid possimus scire, quare non permiserit Deus, animam alicuius eorum, qui è viuis discesserunt ad nos redire, & enarrare, qualis nam rerum apud inferos sit status & qualis necessitas? Respondet posteà. Multos apud nos illinc errores posse oriri. Multi enim Dæmones, formas humanas induere, & in hominum demortuorum figuris transformari possent, ac dicere à mortuis sese reuixisse, atq; inde multas res ementitas, & falsa dogmata, de ijs quæ ibi fiunt spargere possent, idq; ad seducendum nos & perdendum.

Assum-

Assumptum ex locis scripturæ firmum est.

Locus quartus.

Iob. 7, vers. 1. Tempus determinatum est homini super terram & sicuti dies mercenarij dies eius.

1. Tim. 4. vers. 7 & 8. Certamen illud præclarum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod super est reposita est mihi iustitiæ corona.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si animæ hominum in statu huius mundi certamine perpetuò colluctantur cum principatu huius seculi, Diabolis nimirùm & carne, & si determinatum huiusce certaminis tempus in morte corporum assequuntur. postea verò triumphum & coronam æternæ requiei accipiunt, non est credibile, eas iterum in hunc mundum, locum militiæ, & periculorum atq; certaminis, diabolorumq; plenum exire.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum quam habeat euidentiæ rationem explico: Mundus hic sublunaris certaminis locus est à non ideo saltem quod dum hîc viuimus cum carne & sanguine colluctandum nobis sit, sed præsertim, quia totus aër, totus imò mundus

mundus dæmonum caterua plenus est, vt nullus sit locus vacuus, in quem vel pilum dejcias. Ait .n. Axithæus apud Gazæum in Theophrasto quòd earũ quæ sunt intelligentia præditæ facultatũ plenum sit totum cœlum, plenũ etiam esse aerẽ dæmonibus, plenũ deniq; mare plenam terrã, plena deniq; quæ sub terra sunt omnia: Subijcit & illud: Sed etsi inquit mortalibus, in decies millenos annos, hæc externis sensibus exposita vita produceretur, nunquam tamen opinor, tantæ Angelorum atq; dæmonum multitudini humanarum animarum numerus par erit. Accedit ad hæc quod Mar. 5. vers. 9. Asserit Dæmon in vno humano corpusculo Legionem fuisse diabolorum, Et cum Legio iuxta Varronem lib. 4. de ling. lat. diuidatur in decem cohortes, cohors vero in quinquaginta manipulos, singuli autem manipuli in viginti quinos milites, benè supputanti legionis numerus assurget ad quindecim millia Diabolorum. Adde quod non solum multitudine sed & viribus longè superant Diaboli animas hominum, vnde interdum principatus & potestates, in scripturis appellantur Eph. 1. vers. 21. cap. 6. vers. 12. & sæpe etiam huius aëris Domini & principes. His adde, quòd tanto desiderio ardent Diaboli animas sanctorum deuorare & ceu leones rugientes quærere 1. Pet. 5. vers. 8. vt in momento si fieri posset omnes deglutirent. Iam verò vt ad propositum redeamus cum tanta

sit dia-

sit diabolorum in aere multitudo, tanta illis cupiditas perdendi animas, tanta denique potentia, quis vnquam credibile putet, animas defunctorum in regionibus istis certaminum & periculi locis vltro velle oberrare, & sese in tantū discrimen conijcere, præsertim cum æterna in cœlis quietę, & gloria triumphent vnde Ioannes Apoc. 7. vers. 9. se vidisse testatur palmas in manibus defunctorum, tanquam signum æterni triumphi.

Huc referri possunt illa Cyrilli verba Tom. 4. lib. 5. in Esaiam Malas & aduersarias potestates miseram animam interdum incursare, & quorumq; volunt auferre tyrannicè, Et idem Cyrillus lib. 12 in Leuit. circa finem, appositissimè ait Contrarias potestates, ita ambire & desiderare pulchritudinem animæ, quæ ad imaginem Dei creata est, quemadmodum prauus dissolutus & voluptatibus immersus homo, ambit & desiderat formosissimam & pudicissimam virginem. Nunc considera an verò sit simile animas defunctorum sanctorum in hisce oberrare regionibus.

Hinc ait Epiph. Hæres. 59. aduers. Cathar. Post mortem qui decertarunt quiescunt, qui non decertarunt non amplius adsunt & omnia palam consummata sunt post factum hinc discessum. Ascribam modo aliquot veterum aliquot testimonia.

Augustinus de incarnatione verbi cap. 2. postquam defunctum esse ait rationali animæ certamen esse aduersus diabolum & Angelos eius, contrariasq; virtutes, ex eo quod peccatis eam illi onerare contendant, laudat Porphyrium Philosophum Platonicum qui ad mala mundi huius animas nunquam redire existimauit vt videre est lib. 22. de ciuit. Dei cap. 27. Cognouit enim pius ille vir animas defunctorum sine periculo in his regionibus oberrare non posse, præsertim cum nihil sit in mundo hoc sublunari quod non plenum esset Diabolorum: Tradit Psellus ex Marco quodam homine in cultu Diabolorum peritissimo sex esse Diabolorum genera. Ac primum genus lingua Barbara nominari Batleliureon id est igneum, quod circa sublimem aerem peregrinari dicit.

Secundum genus esse ait quod in aëre nobis propinquo oberrat quod aëreum vocari solet. Tertium terrenum, quod vt plurimum circa terram versetur, loca Arida & deserta teste Christo permeet, terrenisq; rebus aduersetur multis rationibus & technis. Quartum aquatile vocat, & marinum, quod humoribus sese immergit ac libenter circa lacus & fluuios habitet, multosq; perdat aquis & in mari fluctus excitet, ac tempestates, naues quoq; hominibus onustas funditus subuertat, & multos vndis obruat. Quintum est subterraneum, quod habitat sub terra, inuaditq; qui puteos effodiunt

effodiunt,& metalla efficit,hiatus terræ,& fundamenta concutit,& sæpe flammiuomos excitat ventos. Vltimum genus est Lucifugum,imperscrutabile,ac penitus tenebrosum,passionibus frigidis violẽter res perdens, Hæc omnia dæmoniorum genera sic affecta dicit,vt hominibus aduersentur, alij tamen alij peiùs & nocentiùs. Considera modo cur laudarit Augustinus Porphyrium animas in hunc mundum redire negantem.

Tertullianus lib.de Anima cap. penultimo sic scribit: Aiunt(inquit)& immatura morte præuentas animas eousq; vagari,donec reliquatio compleatur ætatum, qua cum præuixissent si non intempestiuè obijssent: Postea plurima docte disputat,quæ omnia huc tendunt, animas mortuorum non posse in nostris regionibus oberrare.

Obiectioni quorundam artem magicam,qua animæ euocantur,respondet pluribus, ac inter cætera sic ait. Sic & in illa specie magiæ, quæ iam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est operatior planè quia & phantasmata præstatur, quia & corpus affingitur, nec imaginum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis excæcare perfacile est. Mox ibidem: Nulli autem animæ omnino inferos patere, satis Dominus in Argumento illo pauperis requiescentis, & diuitis ingemescentis ex

persona Abrahæ sanxit, non posse inde relegari renunciatorem dispositionis infernæ quod vel tunc licere potuisset vt Mosi & Prophetis crederetur.

Axitheus Syrus apud Aeneam Gazæum in Theophrasto ait: Nec dices deinceps vnquam fore vt in hanc vitam redeat anima, videlicet hic iterum victura, cum hæc omnia sint iam ante confecta, & siquidem iuuenile quodammodo gloriari libeat, vinculis adamantinis ligata.

Ibidem: Recte facis amice, quod animam in has terras redire pernegas: Nec enim volet ratione prædita anima, ad tanta, quæ iã antea est experta pericula denuo sustẽtãda redire nec concessũ est etiam illis in certamen illud prodire, Sufficit.n. præsens hæc vita, ad cuiusq; virtutis demonstrationem. Idem ibidem docet eos qui animas mortuorum euocant, quoddam Dæmonis spectrum, non verò animas euocare. Quamobrem subicit id anile & fabulosum esse, quicquid de apparitione animarum dici solet, neq; quicquam habere quod probabile sit.

Cyrillus in Ioannem Lib. 12. cap. 36. Accidit, inquit, morientibus vigore carnis iam consumpto, & anima quæ corpus retinet abeunte, inclinatio capitis. Quamobrem verbis hoc modo abusus Euangelista est. Sic & tradidisse Spiritum, ac consuetudine nostra sibi dictum est. Multi enim sic extingui & mori dicuntur. Quamuis mihi videatur,

tur, ideo non simpliciter mortuum esse, sed tradidisse spiritum Euangelista dixisse, quia in manus Dei patris animam suam commendauit, sicut dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Quod nobis magnæ spei fundamentum, atq; originem præbet. Credere namq; debemus, cum à corporibus sanctorum animæ abierint, tanquam in manus charissimi patris bonitati diuinæ commendari: nec vt quidam infidelium crediderunt in terris conuersari quousq; sepulturæ honoribus affectæ sint: nec vt peccatorum animæ ad immensi cruciatus locum id est, ad inferos, deferri: itinere hoc nobis à Christo primùm præparato, sed in manus potius Patris euolare. Tradidit enim animam suam manibus genitoris, vt ab illa, & per illam facto initio, certam huius rei spem habeamus firmiter credentes, in manibus Dei post nos mortem futuros, vitamq; multo meliorem ac perpetuò cum Christo victuros.

Augustinus libro de Cura pro mortuis, disputat, vt probabilius sit, sanctos mortuos non apparere per se, sed id ita videri, quemadmodum dormientibus accidere solet, quibus nonnunquam personæ quædam, in somnijs adesse videntur, quas se conspicuè videre putant, cum illæ tamen longè sint interea ab ipsis dissitæ, necquicquam de hac visione cognoscant.

Eodem lib.cap.12. Si (inquit) rebus viuentium intereſſent animæ mortuorum & ipſæ nos quando eas videmus alloquerentur in ſomnis,vt de alijs taceam,meipſum pia mater nulla morte deſereret,quæ terra mariq; ſecuta eſt, vt mecum viueret.

Abſit enim vt facta ſit vita fœliciore crudelis vſq; adeo vt quando aliquid angit cor meum, nec triſtem filium conſoletur,quemdilexit vnicè,quem nunquam voluit mœſtum videre,ſed profecto quod ſacer Pſalmus perſonat verum eſt.quoniam Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Chryſoſtomus Hom.39.in caput 8.Matth.

Quòd verò immaculatorum hominum animæ ipſis cooperentur,vnde mihi perſuadebitur?an quia ipſos dæmoniacos clamare nonnunquam audiſti,anima talis ego ſum? Verùm hæc quoq; oratio à fraude atq; deceptione diabolica eſt. Non enim anima defuncti eſt,quæ iſta dicit, ſed dæmon qui hæc,vt audientes decipiat fingit. Nam ſi poſsibile eſſet animam hominis in dæmonis ſubſtantiam tranſire,multo facilius poſſet in corpus, ſuum redire. Præterea quæ ratio inducet nos, vt credamus animam, cui illata iniuria eſt, illi ipſi patrocinari qui ſibi iniuriam intulit, aut hominem poſſe facere, vt incorporea virtus in aliam ſubſtantiam tranſmutetur? Nam ſi eſt de corporibus impoſ-

impoßibile vt nũquam hominis corpus in aßini corpus tranſmutetur: quando minus inuiſibilem animam in ſubſtantiam Dæmonis transformare poſſibile erit? Quare vetularum verba imo deſipientium dicenda ſunt. Nec enim poteſt anima è corpore ſeparata in his regionibus errare. Iuſtorum animæ enim in manu Dei ſunt.

Infantium quoq; ſimiliter, non enim peccarunt. Peccatorum verò poſt hunc exitum continuò abducuntur, quod à Lazaro & diuite planum efficitur. Idem paulo poſt.

Multis è locis ſcripturæ comprobari poteſt non errare hic poſt mortem iuſtorum hominum animas. Nam & Stephanus ait ſuſcipe Spiritum meum. Et Paulus reſolui ac eſſe cum Chriſto deſiderabat, de Patriarcha quoq; ſcriptura dicit Et appoſitus eſt ad patres ſuos, mortuus eſt in ſenectute bona.

Quòd verò nec peccatorum animæ hic commorari poſſunt, diuitem audias quid dicat, perpendasq; quid petit, & non impetrat. Quod ſi poſſent animæ hominum hic conuerſari veniſſet ipſe vt cupiebat, & ſuos de tormento inferni feciſſet certiores. His nihil poteſt dici manifeſtius.

Idem Chryſoſtomus concione 4. de diuite & Lazaro. Vt abundè cognoſcas, quod grauior ſit ſcriptuarum ac Prophetarum doctrina, quam ſi quid à mortuis reſuſcitati renuncient: illud

consideræ, quod quisquis mortuus est seruus est. quæ verò scripturæ loquuntur loquutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reuiuiscat, etiamsi Angelus è cœlo descendat maximè omnium credendum est scripturis. Nam Angelorum herus, mortuorum pariter ac viuentium Dominus ipse eas condidit &c. Mox post pauca ait: Ne igitur quæramus hæc audire a mortuis, quæ multo clarius nos docent sacræ literæ in his verbis audis ideo mortuorum apparitionem Chrysostomum negare, quia cum Scriptura sit perfecta non opus habemus mortuorum præsentia. Deinde quia Diabolus hac moriturum apparitione multa peruersa inueheret dogmata: ob id in eadem concione negat animas defunctorum in terra obambulare ait enim: Animæ corpus egressæ, non amplius hic commorantur sed protinus abducuntur.

Idem Hom. 13. in caput 4. Matth. pluribus & admonet ne mortuorum testimonijs credamus, quòd illis omninò non indigeamus.

Superest nunc vt vnam dubitationem soluamus.

Legimus 1. Reg. 28. vers. 14. Samuelem defunctum, redijsse & viuo Sauli etiam futura prædixisse: Quamuis enim nonnulli non verum Samuelem fuisse sed spectrum magicis artibus euocatum

catum dicant: Liber tamen Ecclesiastici cap. 46. vers. 23. verum fuisse Samuelem videtur affirmare, cum eum etiam post obitum vaticinatum fuisse dicat & Regi excidium prædixisse. Sed etiam si huic libro, eo quod non sit in canone, minus credatur, nescio tamen quid de Mose dicturi sumus, quem Deuteron. 34. vers. 5. mortuum fuisse legimus, in Euangelio autem Matth. 17. vers. 3. cum Elia in transfiguratione Christi apparuisse, vt interea taceam quòd Augustinus lib. de cura pro mort. cap. 16. narrat, Fœlicem quendam confessorem, cùm à Barbaris Nola oppugnaretur, apparuisse.

Ad hæc ego omnia & alia similia, etiamsivt legimus verè & non phantasticè exhibita esseconcedam, breuiter tamen respondeo aliam esse diuinæ dispositionis rationem, alium rursus ordinem singulis creaturarum generibus attributum. Quid? Vinum in aquam transmutatum fuisse quis non legit? Lazarum & Filiam Iairi, à mortuis resuscitatum quis nescit? Inde tamen si quis concludet, omnẽ mortuum quando vult surgere posse, & aqua quid valeat in ordine elementorũ non reputet, sed eam semper posse in vinum transire existimet, ineptus erit. Alij itaq; sunt (vt Augustini vtar verbis) humanarum rerum limites, alia signa diuinæ virtutis, alia quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. Quamobrem non ideo

putandum est viuorum rebus quoslibet defunctos interesse posse, quoniam in quibusdam rara legimus exempla: Sed potius intelligendum quod per diuinam potentiam, quidam mortui apparent, quoniam per naturam in mundo sublunari oberrare non possunt. Ex quibus omnibus in summam collectis, nostræ Thesis veritas in clarissima versatur veritatis luce, nempè Animas defunctorum in mundo hoc sublunari ordinariè nec adesse velle, nec posse.

CAPVT XVII.

SI ANIMAE DEFVNCTORUM, neq; intereunt cum corporibus nec á corporibus in corpora reuoluuntur, nec deniq; in mundo sublunari oberrant. Anne igitur deferuntur ad Purgatorium.

Balius in actis, Rom. & Pont.

FAbulam de purgatorio totam ex figmento Platonico, ac etiam Poëtico natam esse, facilè quiuis cognoscit, qui vel tantillum in Platonicis, & Poëticis versatus est studijs: Ac vt quod dico reipsa sic se habere demonstrem, adeamus Platonem & quid tandem apud eum de purgatorio igne inueniamus, paucis & tanquam in transcursu

cursu expendamus, quod ipsum quo fiat facilius duas ex lib. 19. Platonis de Repub. affcram distinctiones: Vna ad animas, altera ad locum animarum spectat: Ac quod ad Animas attinet illæ in multiplici sunt ordine apud Platonem.

Quædam enim breuissimo temporis spacio in corpore habitantes recedunt, vt in infantia, aut ipso natiuitatis puncto. 1.

Quædam autem iusto temporis spacio corpus in habitant, vt aliæ ad iuuentutem, aliæ ad virilem ætatem, aliæ etiam ad ipsam vsq; senectutem. 2.

Rursus animæ postremi ordinis diuersos habent apud Platonem gradus:

Quædam enim criminibus ita maculantur, vt non in habitum prauum deducantur, sed interponant pœnitentiam & repugnantiam rationis. Hos Theologi infirmos & ex infirmitate crebrò in peccata incidentes ac eo modo morientes vocant.

Quædam verò peccatis in prauum habitum deductis, sine vlla rationis repugnantia sine pœnitentia quodcunq; scelus etiam immanissimum contra Deum & proximum perpetuò committentes ex hac vita emigrant. 2.

Qui in malo obdurati à Theologis vocantur.

Quædam

III. *Quasdam iustè & sanctè viuere contendunt.*

Hæ rursus apud Platonem in triplici sunt differentia.

I. *Quædam sua simplicitate contentæ in nullo Philosophandi genere sese exercent, interea tamen erga Deum & proximum iustè ac piè viuere conantur. Hæ vulgares vocari possunt.*

II. *Quædam sanctè & piè viuentes simul pietati legitimam philosophandi vsum coniungunt, quæ vocari possunt Mediocres.*

III. *Quædam deniq; exactissimæ Philosophiæ & speculationi deditæ, à communi hominum ordine semotæ omni virtutum genere excultæ sunt. Hæ singulares vocari possunt.*

Tot igitur apud Platonem animarum distinctiones reperiri licet, vel certè non multo plures.

Ad secundam distinctionem quod attinet: Loca animarum post hanc vitam apud Platonem quinq; sunt.

Primus est sub terra infimus quem Tartarum appellat: Plato in Phædon.

Secundus est sub terra tartaro Paulo superior: Plat. in Phædone.

Tertius locus est supra terram in æthere superiori purissimo quo nullus vapor nulla nubes peruenit. Plat. in Phæd.

Quart

Quartus est in splendidis corporibus cœlestibus. Plat. in Timæo.

Vltimus est super cœlestis. Plat. in Phædone.

His in hunc modum præmissis Plato animabus eorum qui exiguo tempore in corpore vixerunt hoc est infantium nullum certum locum assignat. I.

Animabus eorum qui non quidem obdurati sed pœnitentes, crebro tamen peccantes & in peccatis morientes decesserunt Locum sub terra tartaro Paulo superiorem tribuit, vbi, vt inquit in phædone, expiantur, pœnas dantes iniuriarum & cum purificatæ sunt absoluuntur. En tibi originem purgatorij à cerebro Platonis enatam. II.

Animabus eorum qui sine pœnitentia obdurati vixerunt Locum sub terra infimum qui tartarus dicitur assignat, vt Plato ipse Lib. 10. de republica Ardiei tyranni cruciatu depingit. III.

Animabus eorum quidem pie qui vixerunt in nullo tamen Philosophiæ genere sese exercuerunt, sublimem æthere purissimi regionem assignat. De his ait in Phœdone qui præ cæteris pie vixisse inueniuntur, hi sunt qui ex terrenis locis tanquam e carcere soluti, ad altiora transcendunt, puramq; supra terram habitant regionem. IIII.

Animabus

V. *Animabus eorum qui & sanctè vixerunt & mediocriter in Philosophia sunt exercitati in Timæo, sidereas sedes assignat.*

VI. *Animabus deniq; illorum qui sanctè viuentes exactissimè sine vllo fuco Philosophati sunt, præ cæteris supra cœlum pulchriorem locum tribuit, quem in Phædone dictu non facilem esse ait.*

Nunc considera anne in Pontificijs tanquam in cinere Phœnicis Plato renatus sit?

Aut Plato παπηκίζειν aut Papistæ πλατωνίζειν: Hoc enim illud est quod Porphyrius Platonicus ait, quod & Papistæ clamitant animam post mortem corporis per quasdam consecrationes Theurgicas, quas Teletas vocat, id est, Perfecta sacrificia purgari, vt ad immortalitatem perueniant. Et Hom: Iliad. 8. vers. 13. Inferos locum sese purgantium animarum constituit: Inferiorem autem earum de quarum salute desperatum est. Quod ipsum optimè expressit Maro his versibus. Aen: 6.

Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub iurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Hæc igitur portenta Poëtica, & vanissima Philosophorum figmenta quam in scripturis sedem habeant videamus.

THESIS.

Dico

Dico post hanc vitam nullum esse Purgatorij locum, in quo satis purgatæ animæ à peccatis saluentur, sed potiùs assero totam Purgatorij Papistici fabulam ex figmento Philosophico & Poëtico natam ac enatam esse: ac proinde animas in eum locum nunquam deuolui.

Quia hæc thesis nostra futili illa & falsissima Papistarum distinctione qua aiunt alia peccata venalia, alia mortalia esse, eludi quodammodo posset, ideo argumentorum seriem eo ordine collocabo vt simul eorum distinctionem euertam & thesin nostram firmissimè constabiliam.

Primum itaq; argumentum directe purgatorio opponam & probabo nullum talem esse locum in rerum natura.

Secundo ostendam purgatorium verum non alibi esse quærendum quam in solo sanguine filij Dei.

Tertio contra Papistarum distinctionem demonstrabo Christi sanguinem non solum mortalia peccata non solùm culpam, sed & venialia omnia, omnesq; pœnas perfectissimè eluisse.

Quartum argumentum ex statu animarum è corpore discedentium construam.

Quintum à modo translationis in vitam æternam.

Vltimum à requie earum & fœlicitate.

His patrum testimonia subiungam.

Locus

Locus primus.

Luc. 16. verſ. 26. Inter vos & nos hiatus ingens conſtitutus eſt, vt ſi qui velint hinc tranſire ad vos non poſſint nec iſtinc huc tranſire.

Item verſ. 25. Hic ſolatio fruitur tu cruciaris verſ. 22. Mortuus eſt mendicus & aſportatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ: Mortuus eſt & diues, & ſepultus eſt in inferno,

Ioh. 5. verſ. Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me habet vitam æternam, & condemnationem non veniet, ſed tranſibit à morte ad vitam.

Ioh. 3. verſ. 24 Qui credit in eum non iudicatur qui vero non credit iam iudicatus eſt:

Apoc. 22. verſ. 14. 15. Beati qui ſeruant mandata eius, vt ſit eius vis in arbore vitæ & per portas ingrediantur in vrbem. Fores autem erunt canes, veneſici ſcortatores, homicidæ & idolatræ.

Apoc. 21. verſ. 7. 8. Qui vicerit poſſidebit omnia (in tabernaculo Dei & ſancta Ieruſalem) Timidis autem & incredulis, ſcortatoribus, veneficis & idololatris, pars aſſignata eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure.

Matth. 8, verſ. 11. 12. Multi ab oriente & ab occidente venient & diſcumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum: Filij autem regni

regni, eijcientur in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

Ex his Scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si vniuersa sacra scriptura duo tantum loca, duos status post hanc vitam assignat sinum Abrahæ, & tormentum inferorum, solatium & cruciatum, iudicium & vitam, Sanctam Ierosolymam & stagnum ardens, Regnum cœlorum & Tenebras exteriores, & si inter hæc loca nullus tertius est locus præter χάσμα ingens, mera est fabula ignis purgatorij.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum est in promptu assumptum expressis scripturæ locis nititur, nisi fortè aliquot scripturæ loca obijcias quibus solent papistæ abuti. Primum est: Matth. 5. vers. Amen dico tibi non exibis, donec persolueris vltimum quadrantem: Respondeo Christum eo loci de dilectione fraterna loqui, & de reconciliatione proximi in hac vita, ait enim, dum es in via, id est in hac vita, ergo his locus non potest intelligi de purgatorio, qui in hac vita non est. Deinde particula donec eo loci perpetuum denotat Hæc ex consensu Sarcerij transcripsi.

tempus, vt ex illo scripturæ loco apparet Non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum, hoc est nunquam cognouit. Sensus itaq; est loci Nunquam solues & nunquam exibis sed in æternum damnatus eris post hanc vitam nisi cum proximo in hac vita reconciliatus fueris.

Secunda est obiectio: 1. Cor. 3. Ipse vero saluabitur sed sic tanquam per ignem: Respondeo hunc locum esse allegoricum cuius sensus est Opera sine verbo Dei excogitata euanescere vera autem opera in verbo Dei fundata persistere. Ignis itaq; eo loco significat examen diuini iudicij seu potius iudicium & tentationem conscientiæ in hac vita, quam patiuntur ad reuelationem Euangelij superstitiosi, & superædificatores vanorum operum super fundamentum verum.

Tertia obiectio est: 1. Pet. 3. In quo etiam abijt & spiritibus qui erant in carcere prædicauit: Respondeo etsi multa mala in hunc locum dicant: plausibilis tamen eorum est responsio qui hic per mortuos intelligunt non qui erant corporaliter mortui sed tantum morte peccatorum. His itaq; Christus non in inferis aut purgatorio sed in hac vita per spiritum æternum prædicauit: Et ita exponit idem Petrus sequenti mox capite 4. vers. vbi ait.

Nam

Nam in hoc mortuis quoq; prædicatum est Euangelium vt iudicentur quidem secundum homines carne, viuant autem iuxta Deum spiritu, Hoc loco Petrus quos priori loco Spiritus in carcere appellauit, mortuos vocat, morte scilicet peccatorum.

Sed obijcitur Quarto loco, Prophetas sæpe purgandi voce vti. Respondeo: Purgandi voce vti Prophetas pro pœnis illis quas minatur Deus populo per peregrinos reges & Tyrannos, Item pro purgatione conscientiarum à peccatis per Euangelium.

Vltimo obijcitur potestas clauium. ad quam obiectionem respondeo: Potestatem totam clauium ad præsens tantum seculum pertinere, non ad statum post hanc vitam, sicut apertè monet locus Iohannis 20. Quorumcunq; peccata remiseritis in hac terra, Emphaticum enim est quod dicit in hac terra. Ex his itaq; patet nullam esse purgatorij Platonici in scripturis mentionem.

Accedunt huc manifesta patrum Testimonia.

Augustinus de Salutaribus documentis: Locus purgatorij non est ostensus, nisi quod multis exemplis animæ se ostenderunt. Audis Augustinum expresè dicere, nulla scripturarum authoritate niti purgatorij locum, addit saltem apparitionibus animarum id persuaderi. Verum quam

cautionem aduersus animarum apparitionem habeamus, superiori capite ostensum est.

Idem in Enchiridio ad Laurent. cap. 67. Creduntur autem à quibusdam etiam his, qui nomen Christi non relinquunt, & cuius lauacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea vllo scismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis ad huius vitæ vltimum diem pertinacissimè perseuerent salui futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumq; diuturno, non tamen æterno igne puniri, sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt humana quadam beneuolentia mihi falli videntur, nam diuina scriptura alia consulta respondet.

Idem Contra Pelagianos Hypognost. lib. 5. Primum enim fides Catholicorum diuina authoritate regnum credit esse cœlorum, vnde vt dixi non baptizatus excipitur: Secundum Gehennam vbi omnis Apostata vel à Christi fide alienus supplicia experitur: Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sacris reperimus.

Idem: Optimum esset in incerta re, de qua scripturæ non modo tacent, sed etiam contrarium dicunt ne quid affererent, secundum sententiam sapientis

Sapientis Senecæ, de rebus incertis non debes affirmare, sed incertum iudicium tene. Iam verò cum Augustini sententiæ nullus sit in scripturis locus purgatorij temerè profectò præsumunt papistæ eum tanquam certum nobis ostendentes.

Idem de verbis Apostoli Ser. 18. Duæ quippe habitationes sunt, vna in igne æterno altera in regno æterno.

Idem Super Ioh. Tract, 12. Qui non credit iam iudicatus est, nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium, nouit enim Dominus qui sunt sui, qui permanent ad Coronam, qui permanent ad flammam.

Bernardus capite 9. in Sentent. Tria sunt loca, cœlum, terra, infernus. Cœlum habet solos bonos, terra mixtos, infernus solos malos. Ex his simul collectis applicemus argumentum ad nostrum institutum Nullus est in rerum natura Purgatorij locus. Ergo animæ defunctorum deduci in purgatorium non possunt.

Locus secundus.

Esa. 53. vers. 45. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit, ipse vulneratus est propter præuaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras, castigatio pacis nostræ super eum & liuore eius sanati sumus.

Matth.20.vers.28.Venit filius hominis vt daret animam in redemptionis precium pro multis.

Heb.1. vers.3. Purgatione peccatorum per semetipsum facta sedit ad dexteram maiestatis in excelsis.

Heb.9.vers.14. Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad seruiendum Deo viuo.

Vers.15. Itaq; ob id noui testamenti mediator est vt morte intercedente ad redemptionem earum prævaricationum, quæ fuerunt sub priore Testamento vocati promissionem accipiant æternæ hæreditatis.

Heb, 10. vers. 10. Qua voluntate sanctifica sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel factam.

Heb.2.vers.17. Debuit per omnia fratribus similis fieri,vt misericors esset & fidelis pontifex, in ijs quæ apud Deum agenda forent,ad expiandum peccata populi.

1.Tim. 2.vers.1.2.Vnus est Deus,vnus mediator Dei & hominum,homo Iesus Christus, qui semetipsum dedit redemptionis precium pro nobis.

Eph.1.vers.7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum, ex diuite ipsius gratia.

1.Ioh. 2. vers. 1. Si quis peccauerit aduocatum habe-

habemus Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Rom. 5. vers. 810. Si cum essemus inimici Dei reconciliati fuimus per mortem filij ipsius multo magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius.

Rom. 8. vers. 1 Nulla est condemnatio his qui sunt in Christo Iesu.

Eph. 5. vers. 25. 20. Christus dilexit suam Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, vt eam sanctificaret, postquam eam purgasset lauacro aquæ per verbum, vt sisteret eam gloriosam non habentem maculam aut rugam.

2. Pet. 1. vers. 9. Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, oblitus sese à veteribus peccatis suis fuisse purgatum.

Ezech. 37. vers. 23. De vniuersis habitationibus in quibus peccauerunt emundabo eos, eruntq; mihi in populum & ego ero illis in Deum.

Malach. 3. vers. 1. 2. Ecce venit ad templum suum dominator Ipse enim quasi ignis conflans, & tanquam saponaria fullonum & sedebit & purgabit filios Leui, conflabitq; eos sicuti aurum & sicuti argentum.

Psal. 51. vers. 9. Lauabit me & præ niue dealbabor.

Ierem. 50. vers. 20. In die illa requiram iniquitatem Iacob & non inuenietur, nam remittam peccata ipsorum.

Esa. 1. vers. 18. Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum veluti nix albescent, si fuerint rubra veluti vermiculus, velut lana alba erunt.

Act. 2. vers. 12. Nec est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit hominibus per quod oporteat nos seruari.

Gal. vers. 21. Si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. Si igne purgatorio mundantur animæ, frustra ergo effudit Christus suum sanguinem, purificandis animabus.

Apoc. 7. vers. 14. Hi sunt qui lauerunt stolas suas & dealbarunt in sanguine Agni.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si æternum Dei consilium, vnicum duntaxat purgationis animarum & salutis electorum modum inuenit, autem in filio suo posuit, vana & anilis est purgatorij ignis fabula ac proinde defunctorum animæ eo non deferuntur.

Sed Deus vnicum modum extra omnem exceptionem inuenit, purgandarum animarum, quem in filio suo reposuit.

Ergo vana & anilis est ignis purgatorij fabula, nec eo animæ deuehuntur.

Connexum manifestissimum est: Assumptum expressis scripturæ locis probatur.

Locus

Locus tertius.

1. Ioh. 1. vers. 7. Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab OMNI *peccato.*

1. Ioh. 2. vers. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis.

Hebr. 9. vers. 11. 12. At Christus accedens Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem ingressus est semel æternam redemptionem nactus.

Hebr. 2. vers. 14. 15. Vt per mortem aboleret eum, qui mortis haberet imperium, & liberos redderet quotquot metu mortis, per omnem vitam obnoxij erant seruituti.

Tit. 2. vers. 14. Qui dedit semetipsum pro nobis vt redimeret nos ab OMNI *iniquitate, vt purificaret sibi ipsi populum peculiarem studiosum bonorum operum.*

Hebr. 10. vers. 14. Vnica oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur. Iohan. 19. Consummatum est.

1. Ioh. 1. vers. 9. Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniquitate.

Coloss. 2. vers. 13.. 14. Vos enim mortuos in peccatis, & præputio carnis vestræ, cum eo viuificauit, condonatis nobis OMNIBVS *peccatis & dele-*

& deleto quod aduersum nos erat rituum Chyrographo.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si sacrificium Christi effusione sanguinis sui plenissimè, perfectissimè & consummate omnia, inquam, peccata etiam quotidiana omnesq; pœnas peccatorum sustulit, falsò Pontificij ex sua illa distinctione peccatorum purgatorij ignem defendunt, ac proinde falsissime dicitur animas deuolui in purgatorium.

Verum est antecedens

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum manifestum est. Assumptum probatur expressis scripturæ locis, qui loquuntur de quotidianis etiam regeneratorum peccatis sine quibus nemo hanc vitam transigit, Quamobrem consequitur animas non deuolui post funera corporum in purgatorium, vt ibi eluantur.

Ascribam huc veterum patrum aliquot testimonia.

Augustinus libro decimo de ciuit. Dei cap 22. In eius (Christi) nomine vincitur Satan, qui homine assumpsit egitq; sine peccato, vtin ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est per mediatorem Dei & hominum hominem Chri-

stum

stum Iesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo.

Idem de actis cum Felice cap. 21. Nos dicimus peccasse quidem animam per liberum arbitrium, & pœnitendo purgari per misericordiam creatoris sui, quia non est ex Deo tanquam pars eius, sed tanquam opus eius. Finge misericordiam Dei purgatorium esse.

Basilius in caput 1. Esa. Vna hostia Christus, & quæ pro eius confessione celebratur sanctorum mortificatio: vna aspersio nempè lauacrum regenerationis: Vna expiatio peccati nimirum sanguinis ille pro salute mundi effusus.

Idem, Ibidem: Exposa legalium victimarum multitudine, vna in hoc seculorum fine approbata est, semel oblata in oblationem peccati. Agnus enim Dei abstulit peccatum mundi seipsum offerens oblationem, & hostiam in odorem suauitatis.

Nazianzenus oratione 2. in Pasch. Magna illa, & quantum ad primam naturam immactabilis victima legalibus sacrificijs immixta est, illa, inquam, non exiguæ cuiusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi nec vnquam intermoritura expiatio.

Chrysostomus in Epist. ad Heb. 13. Si Christus perfectus est, nunquam peccat, semper viuit,

cur

cur pro nobis offerret multa sacrificia? Non est aliud sacrificium: vnum nos purgauit: post illud ignis & Gehenna. Propterea sursum atq; deorsum reuoluit Apostolus dicens, vnum sacerdotem, vnum sacrificium, ne quis putans multa esse sine timore delinquat.

Ambrosius in Epist. ad Hebr. cap. 10. In Christo semel oblata est hostia, potens ad salutem sempiternam.

Tertull. de Trinit. lib. 4, cap. 2. Exempto reatu eximitur & pœna.

August. De verbis Dom. Ser. 37. Christus suscipiendo pœnam & non culpam, & culpam deleuit & pœnam.

Origenes apud Cyrillum lib. 9. in Leuit. Haud dubiè ignem inextinguibilem sentiemus nisi petierimus à Domino nunc ignem nobis è cœlo purgatorium mitti, quo desideria mundi in mentibus nostris penitùs absumantur.

Basilius in Reg. Bre. Anima in peccatis volutata, ecquonam modo debet ad Deum accedere? Firmissimè credens purgationem peccatorum suorum factam esse per sanguinem Christi in multitudine miserationum Dei. vt ille ipse dixit. Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra vt vermiculus quasi lana albescent.

Locus

Locus quartus.

Matth. 5. vers. *Esto amicus aduersario tuo cito dum ES IN VIA cum eo, ne quando te tradat iudici, & iudex tortori & in custodiam conijciaris, Amen dico tibi, non exibis, donec soluaris vltimum quadrantem.*

Ioh. 9. vers. *Me oportet opera eius operari, qui misit me, venit nox quando nemo potest operari.*

Gal. 6. vers. *Operemur bonum dum tempus habemus.*

Eccles. 11. *Cum nubes impletæ fuerint, pluuiam effundunt in terram, & cum arbor ceciderit vel ad austrum vel ad Aquilonem in quemcunque locum ceciderit in eo permanebit.*

Ex his scripturæ locis sequentem conficio

Conclusionem.

Si animæ defunctorum nullum neq; locum neque tempus habent post funera corporum malè vel benè agendi, pœnitendi vel non pœnitendi frustrà excogitarunt Papistæ locum purgatorij ad eluendas animas.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum in promptu est: Nam si nihilo meliores euadere possunt, qui in purgatorium deuoluuntur quam dum in peccatis in hac vita vitam traduxerunt, & si nullum pœnitentiæ locum habere possunt, frustra vtiq; exuruntur, frustra cruciatus sentient. Assum-

Assumptum expreßis scripturæ verbis nititur: Emphaticôs enim dicitur à Matthæo. INVIA, hoc est, in hac vita: significans nimirum post hanc vitam nullum esse locum bonorum operum, quare & particula Donec, ita ad præcedens tempus refertur, vt de sequenti, & futuro non affirmetur contrarium.

Consentiunt mecum omnes veteres patres.

Augustinus Epist. 80. ad Heßichium Tom. 2. In quo quemq; inuenerit vitæ nouißimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouißimus dies, Quoniam qualis in die isto quisq; moritur, talis in die illo iudicabitur.

Idem, In Psalm. 32. Misericordiæ tempus modo est, Iudicij tempus post erit.

Idem, in Psal. 36. Tuus certè dies vltimus longe abesse non potest ad hunc te para, Qualis n. exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ.

Idem, in Euchiridio ad Laurent: cap. 115. Hic est omnis remißio peccatorum, hic tentationes quæ nos ad peccandum impellunt: hic denique malum vnde cupimus liberari illic autem nihil est istorum.

Idem de verbis Apost. Ser. 31. Non hic sumus sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato.

Idem in Epist. 54. ad Macedon. Morum corrigendorum nullus alius quam in hac vita locus.

Hiero-

Hieronymus in cap. 9. Eccleſiaſt. Nam poſt hanc vitam quiſq; id habebit, quod in hac ſibi conquiſiuerit. Nunc repetit, donec viuunt homines eos poſſe fieri iuſtos, poſt mortem verò nullam boni operis dari occaſionem peccator enim viuens poteſt eſſe iuſto mortuo ſi voluerit in eius tranſire virtutes, vel certè, eo qui ſe in malitia procacitate iactabat, & mortuus fuerit, melior poteſt quis pauper eſſe & viliſſimus.

Quare? Qui viuentes metu mortis poſſunt bona operari, mortui verò nihil valent ad id adijcere, quod ſemel ſecum tulere de vita. & obliuione obuoluta ſunt omnia, iuxta illud quod in Pſalmo ſcriptum eſt obliuioni datus ſum tanquã mortuus à corde, ſed & dilectio eorum & odium & æmulatio, & omne quod in ſeculo habere potuerunt perijt. Mortis enim fruitur aduentu. Nec iuſtè quippè poſſunt agere, nec peccare, nec virtutes adijcere, nec vitia. Licet quidam huic expoſitioni contraria dicant, aſſerentes etiam poſt interitum, excreſcere nos poſſe & decreſcere &c.

Idem in Epiſt. ad Galat. cap. 6. & 13. Quæſt. 2. Obſcurè licet docemur per hanc ſententiam, dum in præſenti ſeculo ſumus ſiue orationibus ſiue conſilijs inuicem poſſe nos adiuuari. Cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë rogare poteſt pro quoquam, ſed vnumquemq; portare onus ſuum.

Idem

Idem Ad Gal. cap. 6. Lib. 3. Tempus sementis vt diximus tempus est præsens & vita quam currimus, in hac licet nobis quod volumus seminare. Cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur. Vnde & saluator ait operemini dies est, veniet nox quando iam nullus poterit operari.

Athanasius in libro Quæstion. Quæst. 62. Quærit quid sit, Esto benevolus aduersario tuo, cum adhuc es in via cum illo Respondet: Viam inquit dicit vanam & fallacem hanc vitam. Nam à corpore postquam anima separata est, & ex hac via, vitaq; fuerit egressa non amplius potest operari bonum.

Cyrillus Tom. 4. lib. 3. in Esa. Qui semel mortui sunt, nihil quicquam his quæ operati sunt possunt adijcere, manebunt potius in quibus relicti sunt, & generalis iudicij tempus expectabunt.

Cyprianus contra Demetrianum Tract. 1. Lib. 4. Credite & viuite, & qui non ad tempus persequimini, in æternum gaudete nobiscum. Quando hinc discessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis affectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur, hic saluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Mox ait. Tu sub ipso licet exitu, & vitæ temporalis occasu pro delictis roges Deum, qui verus & vnus est, con-

confessionem, & fidem agnitionis implores, venia confitenti datur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.

Chrysostomus Concion. 2. de Lazaro donec hic fuerimus spes habemus præclaras, simul ac vero discesserimus illuc, non est postea in nobis situm pœnitere, neq; commissa diluere Mox ait: Nec enim qui in præsenti vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inuenturus est. In inferno .n. ait quis confitebitur tibi? & meritò, hoc enim est curarum tempus, & conflictionum & certaminum, illud verò coronarum, retributionum & præmiorum.

Idem ad populum Hom. 22. Post vitæ finem nec meritorum sunt occasiones, sicuti nec athletis post transacta certamina coronas adipiscendi. Theophylactus in Matth. cap. 25. Post vitam .n. illam, non est tempus compœnitendi & optandi, proinde dominus fatuis ait virginibus, nõ noui vos.

Ambrosius de bono mortis cap. 2, Qui hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, non erit autem qui ad vitam æternam non potuerit peruenire, quia vita æterna remissio peccatorũ est. Ideo dicit (Dauid) remitte mihi vt refrigerer priusquam eam & non amplius ero.

Hysichius Lib. 6. in Leuit. cap. 19. Dies autem tertia, quia in ipsa à mortuis Dominus noster resurrexit, figuram futuri seculi & mortuorum

resurrectionis gerit, in quo iam non licet operari, sed qui nunc operati sunt illic ad retributionem veniunt.

Locus quintus.

Luc. 16. vers. 22. Factum est vt moreretur mendicus, & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Ex hoc loco sequens concipitur conclusio.

Si Deus in repetendis ac transportandis piorum animabus hunc modum constituit vt Angelorum ministerio eas in conspectum Christi transferri curet, non est credibile vllas animas in purgatorium declinare.

Verum est antecedens:

Verum igitur & consequens.

Connexum patet: Assumptum expresso nititur scripturæ loco, cui apponam illud quod Gen. 28. vers. 2. se vidisse in somnio narrat Iacob Angelos Dei ascendisse & descendisse per scalam quæ attingebat cœlum. Cum enim scala illa sit ipse Christus, interprete ipsemet Christo Ioh. 1. vers. vlt. beneficio certe Christi animæ nostræ in cœlum euehuntur. Quomodo? Ministerio Angelorum, qui per hanc scalam sursum ac deorsum currunt. Et hoc est quod Iudas vers. 7. testatur Angelos non pro animabus modo defunctorum excubare. sed & corpora eorum custodire contra insultus & fallacias Diabolorum. Cum itaq; in inferenda, vt quidam sentiunt, simul nostris corporibus anima

Ange-

Angelorum ministerio vtatur Deus, & rursus in repetenda eadem ijsdem Angelis soleat vti non est profecto vero consentaneum animas nostras in purgatorium detrudi.

Locus sextus.

Luc.23.vers.43. Hodie mecum eris in Paradiso ait Dominus ad Latronem.

Sap.3. Iustorum animæ sunt in manu Dei & non tanget eas tormentum.

Apoc. 14. vers. 13. Beati post hac mortui qui causa domini moriuntur dicit Spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si animæ defunctorum etiam peccatorum quorum Dominus peccata in morte remittit, à puncto mortis beatæ sunt, neq; vllum tormentum patiuntur sed requiescunt ab omnibus laboribus, non deferuntur vtiq; ad purgatorium in quo torreantur, & exurantur peccata eorum.

Sed antecedens verum est:

Verum igitur & consequens.

Connexi ratio euidens in promptu est. Si enim Latroni qui totam vitam in sceleribus traduxerat, & quo nullus purgatorio magis indigebat, à puncto mortis eodem die requiem æternã Christus

præbuit, Nequaquum profecto credibile videri potest sanctorum animas in purgatorium præcipitari.

Quibus adiungi potest Augustinus lib.1. de Trinit.cap.10. vbi vitam æternam facit finem omnium bonorum actionum requiem sempiternam & gaudium quod cum à morte semel adepti sumus nunquam à nobis auferetur.

Ex his itaq; omnibus in summam collectis veritas nostræ thesis in media luce veritatis consistit, nempe fabulam purgatorij ex figmento poëtico & Platonico enatam esse quod nusquam existat in rerum natura, neq; eo animas defunctorum deuolui.

CAPVT XVIII.

SI ANIMÆ DEFVNctorum neq; de corporibus in corpora trasmigrant, neq; in mundo sublunari oberrant, nec deniq; in purgatorium deuoluuntur, vbi ergo est earum sedes & quies donec rursus sua assumant corpora?

POstquam omnia impedimenta remouimus quæ aliquo modo quieti animarum obesse poterant, supereſt modò, vt inuestigemus quæ sit sedes

sedes & mansio animarum sanctarum, donec rursus sua assumant in resurrectione vniuersali corpora. Plato (vt superiori exposuimus capite, & Cusanus lib. 3. Idiotæ testis est) animabus puerorum & infantum nullum attribuit locum post hanc vitam. Sceleratis verò & obduratis tartarum assignat, Impœnitentibus purgatorium plebeis interdum purissimum aerem, interdum ætherem summum. Mediocriter Philosophantibus stellas, siue vt vult Cusanus Galaxiam. Perfectè Philosophantibus cœlestes sedes.

Libro autem 10. de Repub, scribit animas ad Letheum campum proficisci stirpibus omnino vacuum & ex Amelita fluuio pronas bibere, & quæ largius hauriunt obliuisci penitus omnium. Quam Platonis sententiam Platoninus Poeta Virgilius exactè descripsit, qui Anchisen de animabus defunctorum sic introducit loquentem:

Has omnes vbi mille rotam voluere per annos
Letheum ad fluuium Deus euocat agmine magno
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant
Rursus, & incipiant in corpora velle reuerti.

Stoici suas, solas hoc est, sapientum animas in superis mansionibus collocant, Tertulliano teste libr. de Anima, alios vero animas sub Luna locum habere existimant, vt Cicero in somnio Scipionis atq; in eundem locum Macrobius testes sunt.

Homerus Odiss. 10. in principio tradit Mercurium stridentes animas, deduxisse apud Oceani fluxus, & albam Petram apud Solis Ianuas, & herbosum prutum vbi habitabant animæ.

Hesiodus in libro ἔργων καὶ ἡμερῶν, quorundam animas post mortem in Deos tutelares euadere, quorundam in tartara, quorundam in Aera mitti.

Diogenes Laertius in Pythagora aerem totum plenum vult esse animarum, vt Lactantius lib. 2. cap. 15. testis est.

Mercurius Trismegistus in Asclepio mortuorum animas ait rapi à Dæmonio, & diligenter examinari, & si malæ deprehendantur à summo in ima deturbari.

Sibylla apud Virgilium Aen. 6. bonarum & malarum animarum locum duplicis viæ constituit dum sic canit:

Hic locus est partes vbi se via findit in ambas
Dextera quæ Ditis magni sub mœnia tendit
Hac iter Elysium nobis: at leua malorum
Exercet pœnas & ad impia tartara mittit.

Cyrillus lib. 7. cap. 22. in Iohan. testis est gentilium fabulis perhiberi animas defunctorum circa corpora in tumulis manere.

Macrobius lib 1. Satur. cap. 10. existimarunt (inquit) antiqui animas à Ioue dari, & rursus illi reddi. Sed tandem his nugis relictis, hoc est Platonis He-

nis, Hesiodi, Homeri, Mercurij & Macrobij aliorumque placitis, inuestigemus nos paucis quid Deus, Prophetæ & Apostoli de sede animarum nobis ostenderint quod antequam faciamus, scire, vel saltem in memoriam reuocare debemus totum humanum genus in duos ordines à scriptura secari, bonos & malos, atq; his duo diuersissima assignare loca dextrum & sinistrum, siue vt planius loquar regnum cœlorum & infernum. Ac quemadmodum regni cœlorum quæ sit conditio oculus videre non potest, nec cor cogitare, ita quod sit inferni tormentum nemo pro dignitate expendere, explicareue potest, vt nihil mirer Platonem qui in Phœdone locum illum super cœlestem, quo exacte Philosophantium animæ subuehuntur, non facile posse explicari, neq; huius seculi esse vt explicetur censuit. Interea tamen quibus primitijs Scriptura sacra locum sanctarum animarum (de loco enim impiorum nihil amplius dico) nobis designet, expendamus.

THESIS.

Dico animas Sanctorum ab eo momento quo dissociantur à corpore, ascendere in conspectum Domini nostri Iesu Christi, vt quocunq; loco glorificatum Christi corpus in cœlis est in eundem quoq; locum colligantur omnes animæ, vbi conspectu Christi sub eius tutela inenarrabili gaudio, requie & fœlicitate fruantur.

Hæc Thesis explicanda primùm, posteà verò confirmanda est.

Dico igitur animas in locum certum in cœlos ad Christum colligi, quod ita intelligi volo. ne locum ibi Physicum qualis in his terris est imaginemur, sed talem potiùs, qui glorificato competat tum Christo, tum animabus ad Christum collectis, qui terminis quidem suis animas complectatur, gloria autem inenarrabili afficiat.

Locus primus.

MAIOR.

Ioh. 14. vers. 2. In domo patris mei habitationes multæ sunt sin minus dixissem vobis. Vado paraturus vobis locum.

Et cum abiero, & parauero vobis locum, rursum veniam & assummam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego & vos sitis.

Ioh. 12. vel 26. Vbi ego fuero illic & minister meus erit,

Apoc. 14. vers. 4. Hi sunt empti ex hominibus primitiæ Deo & agno sacro, & hi sequuntur Agnum quocunq; ierit.

MINOR.

Eph. 4. vers. 8. 10. Ascendit in altum captiuam duxit captiuitatem & dedit dona hominibus.

bus. Qui descendit ipse est qui etiam ascendit, longè supra omnes cœlos vt impleret omnia.

CONCLVSIO.

Apoc. 7. vers. 8. Postea aspexi, & ecce aderat turba multa, quam numerare nemo posset, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis stabant q3 ante Thronum, in conspectu Agni, cuncti stolis albis, at palmæ in manibus eorum.

Act. 7. vers. 60. Domine Iesu suscipe Spiritum meum.

Phil. 1. vers. 23. Desidero dissolui & esse cum Christo nam id longè optimum est.

Integer Syllogismus sic connecti potest.

Quocunq3 ascendit Christus post glorificationem eodem omnes in eius consortium & contubernium colligimur vt conspectu eius frui possumus.

Sed Christus ascendit supra omnes cœlos in gloriam æternæ vitæ.

Ergo & nos nostræq3 animæ colliguntur in locum qui est supra omnes cœlos in gloria vitæ æternæ.

Locus secundus.

MAIOR.

Lucæ 17. vers. 22. Factum est vt moreretur mendicus & asportaretur in sinum Abrahæ.

MINOR.

Hebr. 11. vers. 9. 10. Per fidem Abraham commoratus est in terra promissionis vt alienus, vt qui habitaret in tabernaculis cum Isaac & Iacob cohæredibus eiusdem promissionis. Expectabat enim habentem fundamenta ciuitatem. Cuius artifex & conditor est Deus.

Conclusio.

Matth. 8. vers. 11. Dico vobis quod multi ab oriente & occidente venient, & discumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno cœlorum.

Syllogismus sic connecti potest.

Quocunq; Abraham fide post mortem translatus est eodem omnes fideles, propter participationem fidei Abrahæ in eius consortium & sinum euehuntur.

Sed Abraham per fidem euectus est in ciuitatem, Sanctam, siue regnum cœlorum, cuius fundator Deus est.

Ergo ad nostræ omnes animæ in regnum cœlorum in conspectum Christi euehuntur.

Locus

Locus tertius.

MAIOR.

Lucæ 23. verſ. 43. Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiſo.

MINOR.

Luc. 23. verſ. 42. Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.

Pſalm. 30. verſ. 6. Luc. 23. verſ. 46. Pater in manus tuas depono Spiritum meum.

CONCLVSIO.

Matth. 21. verſ. 31. Publicani & meretrices præuertunt vos in regnum Dei Publicani enim & meretrices crediderunt ei.

Syllogiſmus hoc pacto ex his connectitur.

Quocunq; Latro in cruce pendens per fidem receptus eſt, eodem omnes fideles, in eandemq; Paradiſum colligi per fidem neceſſe eſt.

Sed Latro ille cum GHRISTO *in Regnum cœlorum in manus Dei delatus eſt.*

Ergo omnes fideles in regnum cœlorum ad Dei conſortium & tutelam recipiuntur.

Conne-

Connexum totum optimè cohæret: Paradisus enim, quæ promittitur Latroni, interprete Luca, regnum est Christi, quod ipse coram Pilato apud Iohannem Non ex mundo esse ait.

Quare necesse est vt & Paradisus Latroni promissa sit in alio cælorum regno, vbi in eum statum, sanctitatem & innocentiam reparabimur, quam Adamus in Paradiso loco sancto & innocenti ac amœnissimo amiserat.

Neq; hîc de illa Paradiso somniandum est, cuius delicias Mahumetus ille Arabs in suo Alcorano describens, ait totam eius fœlicitatem in oppiparis & lautis cibis sitam esse, in Ambrosia deniq; & nectare, in concubitu impudico, & oblectatione speciosarum mulierum. Hic enim Porcus eam summam esse in æterna vita opinatur fœlicitatem, quæ huius mundi corruptibilis fecem obtinet.

Locus quartus.

MAIOR.

Apoc. 6. vers 9. Vidi subter altare animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei & propter testimonium quod tuebantur.

MINOR.

Hebr

Heb,13. verſ.10. Habemus altare ex quo, non habent ius edendi qui Tabernaculo inſeruiunt. Non enim habemus hic manentem ciuitatem ſed futuram expectamus.

Per ipſum (Chriſtum altare noſtrum) ideo aßiduè offeramus Deo. Apoc.11. verſ.1. Metire templum Dei & altare & qui adorant in eo. Apoc.21. verſ.22, Nec templum vidi in ea Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, id eſt, Agnus.

Syllogiſmus ſic connecti poteſt.

In quocunq; loco Altare illud ſitum eſt ſub tus quod Animæ defunctorum ſanctorum collectæ ſunt, in eandem locum & noſtras, omniumq; fidelium animas colligi conſtat.

Sed altare illud Ieſus Chriſtus eſt in æterno cœli tabernaculo & templo ſanctæ Ieruſalem exiſtens.

Ergo noſtræ animæ ſub tutelam Domini noſtri Ieſu Chriſti in cœleſtem & æternam habitationem colliguntur.

Cohærent omnia ſyllogiſmi membra ex locis præmiſſis compacta certum enim eſt Altare illud, Paulo interprete, ſub quo beatas animas vidit Iohannes Chriſtum deſignare, qui in tutelam ſuam & cuſtodiam animas colligit, quæ in cœleſtibus

stibus hoc altare æternas & iuges sacrificant gratiarum actiones, hoc est, vt Paulus ait fructum suorum labiorum. Hanc animarum tutelam Vriel Angelus 4. Esd. 4. vers. 25. Animarum promptuarium vocat.

Hactenus breuiter nostram Thesin confirmauimus. Nunc in eiusdem confirmationem aliquot Patrum testimonia subscribam.

Augustinus libro duodecimo de Genes. ad Lit: capite 32. Si quæritur cum Anima de corpore exierit, vtrum ad aliqua loca corporalia feratur vel ad incorporalia corporibus similia, an verò nec ad ipsa, sed ad illud quod & corporibus, & similitudinibus corporum est excellentius cito quidem respondeam, ad corporalia loca vel non ferri nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Iam vtrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, ostendat qui potest, ego autem non puto, spiritualem enim arbitror esse, ad spiritualia verò pro meritis ferri.

Idem libro decimoquinto de Trinit. cap. 25. Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat homines saluos fieri, qui constituuntur purgati, ab omni cogitatione corruptionis in placidis sedibus, donec recipiant, corpora sua, sed iam incorruptibilia, quæ ornent non onerent.

Idem

Idem de octo Dulcitij quæstionibus. Tempus autem, quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem positum est, animas abditis receptaculis continet, sicuti vnaquæq; digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viueret quæ verba ad verbum repetit Augustinus in Euchirid. ad Laurent. cap. 109.

Idem lib. 13. de Ciuit. Dei. In requie sunt animæ piorum à corpore separatæ, impiorum autem pœnas luunt, donec istarum ad æternam vitam, illarum verò ad æternam mortem corpora reuiuiscant.

Idem lib. 2. Quæstion. Euangel. cap. 38. Sinus Abrahæ intelligitur secretum patris, quo post passionem resurgens assumptus est Dominus quo Lazarum portatum ab Angelis, ideo dictum puto quia ipsum receptionem qua in secretum patris abscessit Angeli annunciarunt discipulis viuentibus, dicendo, Quid statis aspicientes in cœlum? Quid aliud dixerunt nisi nullo modo posse oculos hominum vsq; in illud penetrare secretum. Secretum itaq; patris benè intelligitur vbi etiam ante resurrectionem iustorum animæ viuunt cum Deo, sicut & Latroni dictum est, hodiè mecum eris in Paradiso.

Idem de vera innocentia cap. 37. Aeternæ ciuitatis æterna sunt gaudia, & stantium dierum perpetuitas infinita, nec variabitur nec labetur, quia incommutabili pace potiuntur, Cu-

Cusanus lib. 8. Exercitationum Absoluta iustitia in terris, omni iusto locus quietis est manus Dei, seu vis vitæ conseruatiua est, locus animarum sanctarum.

CAPVT XIX.

Si animæ defunctorum sanctorum in beatas illas sedes ad æternam requiem & consortium Christi euehuntur Anne igitur ibi orent, & intercedant pro nobis in hac fragili vita constitutis.

DEduximus beatarum animarum statum ad cœlos vsq; ad conspectum Dei, & consortium Iesu Christi, super est, vt inuestigemus, quid ibi agant, aut saltem agere possint.

Papistæ præcipiti iudicio ad quæstionem hanc, & ex tempore respondent, nempè, beatas animas intercedere & orare apud Deum pro nobis in hac vita constitutis, nixi inter cætera hoc argumento, quod Angeli Dei, teste Zacharia cap. 1. vers. 12. & Thobia cap. 12. vers. 15. Orent & intercedant pro nobis: Christus autem Matth. 22. vers. 30. Marc. 12. vers. 25. Luc. 20. vers. 36. æquales nos vel saltem similes nos fore Angelis in regno cœlorum: Concludunt hinc animas orare pro nobis in cœlis

cœlis quemadmodum & Angeli orant. His scilicet præstigijs, veritatem in æternum firmatam facilè eludere se posse opinantur.

Videndum itaq; hoc loco, & sedulò inquirendum est quatenus animæ beatæ orare, & pro nobis intercedere possint, quatenus autem minus. Quod antequam aggrediamur, inuestigandum est, quid nomen orationis in se contineat, ne in ambiguo laborare in progressu videamur. Orationis siue intercessiouis partes duas esse ex doctrina Pauli didicimus 1. Tim. 2. vers. 1. Philip. 4. vers. 6. Item ex Dauidis Psalmis Psal. 50. vers. 14. 15.

Petitionem, qua vel bona nobis alijsq; à Deo petimus, vel mala nobis, alijsq; imminentia deprecamur.

Gratiarum actionem, qua pro bonis nobis alijsq; collatis, malis nobis alijsq; sublatis gratias Deo agimus. His præmissis videndum est an animæ beatæ gratias saltem Deo agant in vitæ beatæ fœlicitate, An verò simul petitioni quoq; insistant.

Quæstio Prima.

An defunctorum sanctorum Animæ in cœlis gratias agant Deo?

THESIS.

Dico animas defunctorum beatas iugis

laudibus & gratiarum actionibus Deum in vita cœlesti concelebrare.

Locus primus.

Apoc. 5. vers. 8. 9. Cum aperuisset Agnus librum, quatuor animalia & 24. senes ceciderunt coram Agno, habentes singuli Cytharas & phialas aureas, plenas suffituum quæ sunt preces sanctorum, & cecinerunt Canticum nouum dicentes, Dignus es qui accipias librum & aperias eius sigilla quoniam redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua & populo & natione. His subnectunt Angeli numero millies centies mille, & decies centies mille suas laudes.

Ex hoc loco sequens conficitur conclusio.

Si æquum est & iustum, vt gratias Deo agant animæ pro redemptione sua, idq; cantico nouo in cœlis peregerunt animæ viginti quatuor semorum, consequitur iustum esse, vt animæ omnium sanctorum gratias Deo agant & canticum canant nouum.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum manifestum est, nisi velint Papistæ hunc locum ad petitionem detorquere, quod nullo modo contextus admittit, cum enim præmisisset vers. 8. singulos semores singulas habuisse phialas plenas suffituum, & precibus sanctorum, subijcit statim

statim vers. 9. interpretans & cecinerunt canticum nouum, cuius formam statim subijcit quæ mera est gratiarum actio pro redemptione in sanguine Christi peracta. Assumptum ex Iohanne firmum est.

Locus secundus.

Deut. 16. vers. 19. Ponet te superiorem omnibus gentibus, quas fecit ad laudem, & nomen & gloriam, vt sis populus sanctus Iehouæ.

Ephes. 1. vers. 6. Prædestinauit nos ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ qua gratos nos reddidit in illo dilecto. Apoc. 14. vers. 1. & 4. Tunc aſpexi & ecce agnus ſtans ſuper montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis & audiui vocem è cœlo tanquam vocem Cytharædorum, & canentium quaſi canticum nouum neq; quiſquam poterat diſcere canticum illud niſi illa centum quadraginta quatuor millia hi ſunt empti ex hominibus primitiæ Deo & Agno.

Ex his ſequentem connecto concluſionem.

Si Deus omnes homines quos ad æternam vitam prædeſtinauit, elegit in laudem glorioſi nominis ſui, & hanc ſuæ electionis finem ij iam aſſecuti ſunt, qui ſunt agni primitiæ, & Deo ſacri ſequitur animas in cœlum euectas iugis laudibus glorioſum nomen Dei concelebrare.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum manifestum est ex eo: Quia omnes prædestinati sumus ad vitam æternam: Omnes autem prædestinati sumus ad laudem gloriosi nominis Dei: Ergo sequitur eos qui iam sunt in vita æterna Dei nomen concelebrare.

Assumptum fidem sibi facit ex locis scripturæ.

Locus tertius.

Psal.149.vers.1, Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum.

Ephes.2, vers.10.15. Vt nota fiat imperijs ac potestatibus quæ in cœlis sunt per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. Huius rei gratia flecto genua ad patrem Domini nostri Iesu Christi ex quo tota familia in cœlis & in terra nominatur.

Ex his locis sequentem conficio conclusionem.

Si laus, gratiarum actio, & celebratio nominis Dei ad Ecclesiam sanctorum pertinet, animæ beatorum in cœlis (quæ potiori iure dicuntur sanctorum Ecclesia quam nos in terris) iugis laudibus Deum celebrant.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Con-

Connexi quæ sit euidentia ostendo ex loco Pauli quem hic ascripsi ait enim ille: Omnem Ecclesiam, siue familiam denominari à Christo, tam in cœlis, quam in terris. Sentit igitur loco & conditione duas nunc esse sanctorum Ecclesias cœlestem siue triumphantem & Terrestrem siue militantem. Reipsa autem & fundamento Ecclesiam cœlestem & terrestrem, vnam eandemq; esse, cuius vnus sit Deus, vnus fidei terminus, vnus baptismi fructus, vnum deniq; caput Christus, Iam verò ait Dauid Laudem & celebrationem Dei propriam esse Ecclesiæ Dei: quanto igitur purior, excellentior, sanctior, & ad naturam Dei propius accedit Ecclesia Sanctarum animarum in cœlis, tanto profecto ardentius, & alacrius Deum euehit laudibus. Assumptum patet expressis scripturæ locis firmum esse.

Locus quartus.

Psal. 148. vers. 13. 14. Laudent nomen Domini quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cœlum & terram hymnus omnibus sanctis eius, populo appropinquanti sibi. Psal. 150. vers. 6. Omnis Spiritus laudet Dominum.

Ex his locis sequens Conclusio conficitur.

Si Laus & celebratio nominis diuini ad omnes Spiritus sese extendit, & si super cœlum & terram eius nomen euehi laudibus debet, si deniq;

hæc laus eo magis propria est Spiritibus sanctis quo magis Deo appropinquant, animæ beatorum iugis laudibus Deum in cœlis celebrant.

Sed verum est antecedens.

Verum igitur & consequens.

Connexum totum manifestum est.

Assumptum verò firmum ex locis prolatis.

Locus quintus.

Rom. 6. vers. 23. Vita æterna donum Dei.

Ierem. 50. vers. 29. Dominus inquit cum in flamma ignis vorantis & turbine venerit, canticum erit nobis sicuti vox sanctificatæ solennitatis, & lætitiæ cordis, sicuti qui pergit cum tibia, & intret in montem Domini ad fontem Israel.

Ex his sequentem conficio conclusionem.

Si beneficia Dei perpetua sunt in vita æterna, iustum autem est, vt qui plus eorum beneficiorum è manibus Domini acceperunt maiori gratiarum actionis & laudis officio sint astricti, animæ beatorum æternis certè laudibus euehunt.

Sed beneficia Dei æterna sunt quia & vita æterna donum Dei est & vero iustum ac æquum est, vt qui plus beneficij acceperunt maiori laudis, & gratiarum actionis officio sint astricti.

Ergo animæ quæ iam æternis fruuntur beneficijs,

ficijs,& plus è manibus Dei acceperunt,quàm nos, iugis laudibus celebrant Deum.

Connexum totum manifestum est. Et certè illinc argumentatur Ieremias,nos non vulgari cantico & gratiarum actione Deum in vita æterna concelebrare,quod tum plenum Israelis fontem bibemus, & pleno fruamur gaudio, cuius animæ quantum ad se attinet,iam sunt participes.

Assumptum expressis scripturæ verbis nititur.

Augustinus huc accedit Epist. 186, ad Paulinum: Glorificati transimus in vitam æternam. vbi Deum sine fine laudabimus.

Ex his omnibus in summam collectis thesis nostra manifesta est,nempe, animas beatorum in vita æterna iugis laudibus Deum celebrare & illi gratias agere.

Sequitur modò alteram partem orationis, vt explicemus, & in quæstionem assumamus.

An defunctorum sanctorum animæ sibi vel nobis aliquid petant à Deo?

Vt hæc quæstio dextrè à nobis explicari possit rursus distinctione opus est,rerum petendarum.Res itaq; petendæ duplicis sunt generis. Aut ,n. sunt res ad consummationem Regni gloriæ,& plenariæ felicitatis necessariæ.

Aut sunt res ad consequendam vitam illam beatam necessariæ, & vsum huius vitæ corporalis pertinentes. Præmissa hac distinctione.

Quæstio est II.

An animæ defunctorum sanctorum consummationem regni gloriæ, & plenariam fœlicitatem cupiant, aut petant?

Thesis.

Dico animas defunctorum sanctorum consummationem regni gloriæ, & plenariam fœlicitatem summo desiderio cupere, & petere.

Hæc Thesis non indiget prolixa confirmatione, explicanda potius est. Sciendum itaq; est hoc loco animas beatorum, postquam ad loca sancta cœlorum recipiuntur, non ex tempore perfectissima & numeris omnibus consummata vti fœlicitate, quali vtentur post corporum resurrectionem. Et hoc sic probo.

Paulus 1. Cor. 15. vers. 28. Non antè Deum omnia in omnibus futurum docet, quam seculi fiat consummatio: Deum autem omnia in omnibus esse summus & perfectissimus est fœlicitatis apex. Ergo nondum summum illum & felicitatis perfectissimæ apicem animæ attigerunt.

Deinde fœlicitas hominis perfectissima, in statu fœli-

tu fœlicißimo totius indiuidui consistit. Atqui altera tantum pars adhuc fruitur gaudio cœlesti, Quare ea fœlicitas non potest esse modis omnibus atq; numeris consummatißima.

Huc etiam patrum spectant testimonia Bernhardus Ser. 3. in Festo omnium Sanctorum. Ad uertistis inquit, tres esse sanctarum animarum status, primum in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine: Primum deniq; in tabernaculis, secundum in atrijs: tertium in domo Dei. Quoniam autem in atrijs, nonnullus defectus est, beati omnino qui habitant in domo tua Domine. Quod si quis vnde hoc tam fiducialiter præsumam quærat, Inde sine dubio, quod iam multi ex nobis in atrijs sunt donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum, in illam enim beatißimam Domum, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neq; enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui datur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam.

Mox ait: Acceperunt iam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos.

Idem eodem libro, capite: Sed si: Sed si plenius etiamnum loquitur, donec absorpta sit mors in victoria, & noctis vndiq; terminos lux perennis inua-

nis inuadat, & occupet vsquequaq; quatenus & in corporibus gloria cœlestis effulgeat, non possunt animæ ex toto seipsas exponere & transire in Deum nimirum ligatæ corporibus etiam nunc, etsi non vita & sensu certè affectu naturali: Idem ibidem ait:

Itaq; ante restaurationem corporum, non erit ille defectus animorum qui perfectus est, & summus ipsorum status: Nec carnis iam sane consortium spiritus requireret, si absq; illa consummaretur.

Post aliquot verba rursus ait: Nec mirum si corpus iam gloriæ conferre videtur spiritui, quod & infirmum & immortale constat ipsi non mediocriter valuisse. Ibidem mox:

O quam verùm locutus est qui dixit: Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Valet Deum diligenti animæ corpus suum infirmum, valet & mortuum, valet & resuscitatum. Primo quidem ad fructum pœnitentiæ, Secundo ad requiem, postremò ad consummationem. Merito sine illo perfici non vult, quod in omni statu in bonum sibi subseruire præsentit.

Nunc redeamus ad propositam thesin quæ habet animas sanctorum, summo desiderio petere consummationem regni gloriæ, ob id quia nondum assumpta habent corpora, nondum numeris omnibus absoluta fruuntur fœlicitate. Iam itaq; thesis breuiter confirmanda est. Locus

Locus primus.

Apoc. 6. vers. 10. Clamabant autem (animæ) dicentes. Vsquequo Domine qui sanctus es & verax non iudicas sanguinem suam de his qui habitant in terra: Tum datæ sunt singulis stolæ albæ & dictum est eis vt requiescerent adhuc paululum.

Ex hoc loco sequens conficitur conclusio.

Si animæ defunctorum iudicium Dei expetunt, vt causam ipsarum Deus suscipiens corpora ab inimicis suis occisa illis reddat, postulant vti animæ consummationem regni gloriæ.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum per se patet. Neq; enim animæ simpliciter contra suos hostes orant, aut impios illos à quibus mactati fuerant, sed potius petunt tempus illud accelerari, in quo iudicium Deus generale facturus est, cum etiam corpora sua animas assumere necesse est, ita vt corpore & anima æterna fruantur gloria.

Assumptum probatur expressis Iohannis verbis.

Locus secundus.

Rom. 8. ver. Nam creaturæ expectatio reuelationem

nem filiorum Dei expectat. Scimus enim quod omnes nec creatæ simul suspirent & simul parturiant ad hoc vsq; tempus.

Ex hoc loco sequens conficitur conclusio.

Si vniuersa creatura quatenus in homine concluſa est, & propter hominem creata expectat capite exerto filiorum Dei reuelationem, ipse homo magis vtique eam consummationem expectat.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum hypotheticum satis est perspicuum, propterea quòd vniuersa creatura non aliter ingemiscit, vel expectat reuelationem filiorum Dei, nisi quatenus homo vniuersi Dominus & Epitome omnium creaturarum, ab omni vanitate liberabitur. Nunc vero cum corpora animarum beatarum huic vanitati sint in primis subiecta, ardenti certè desiderio huius vanitatis finem expectant, & gloriæ consummationem assiduis postulant precibus.

Assumptum patet ex loco Pauli. Quamobrem ex his omnibus in vnum collectis nostra Thesis in media veritatis luce collocata est.

Quæstio III.

An

An animæ sanctorum defunctorum res ad consequendam vitam beatam necessarias & vsum huius vitæ pertinentes nobis, vel sibi à Deo petant.

THESIS

Dico animas defunctorum sanctorum, res ad vitam beatam consequendam, præsentis item huius vitæ vsum necessarias, nec sibijpsis à Deo, neque nobis petunt.

Duplex est huiusce thesis membrum, atque vtrumq; confirmatione eget.

Primum est: Animas sanctorum sibijpsis res ad vitam beatam consequendam non petere, quod hoc modo probatur.

Si animæ defunctorum vitam æternam iam sunt adeptæ, nullo indigent medio ad illam adipiscendam, ac proinde neq; talia media desiderant.

Sed animæ sanctorum vitam illam æternam adeptæ sunt, quòd suprà est integro capite demonstratum.

Ergo nulla opus habent petitione ad acquirenda huiusmodi media.

Et hoc est quod ait Ieremias capite 31. vers. 16. Quiescat vox tua à planctu, & oculi tui à Lachrymis, quia est merces operi tuo & est spes nouissimis tuis.

Astipu-

Astipulatur his & Augustinus in Epist ad probam cap. 1.

Tunc inquit erit vera vita post mortem verum solatium post dissolutionem, illa vita eximet animam nostram de morte & illud solatium oculos nostros à lachrymis, & quoniam ibi iam non erit, vlla tentatio: porro si nulla tentatio nulla oratio, non enim ibi erit adhuc promissi boni expectatio, sed redditi contemplatio.

Idem in libro de vita beata, disputatione tertiæ diei: Illa est igitur plena facietas animarum, hoc est, beata vita.

Idem lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. In vita æterna nullum erit malũ uullum latebit bonum, vacabitur, Dei laudibus qui erit omnia in omnibus. Patet ex his animas beatas sibi ipsis non petere res ad beatam vitam consequendam necessarias. Superest vltima quæstio expendenda, quæ solidiore opus habet confirmatione.

Quæstio IIII.

Animæ defunctorum sanctorum an pro nobis, nostrisq; necessitatibus intercedant apud Deum in cœlis?

THESIS.

Dico

Dico animas beatas in cœlestibus sedibus collocatas non intercedere pro rebus nostris ad hanc vitam pertinentibus.

Locus primus.

Esa. 63. vers. 15. 16. Aspice Domine de cœlo, & vide de habitaculo sanctitatis tuæ, & gloriæ tuæ, vbi nam est Zelus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum mihi continent sese. Tu enim Pater noster, quia Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos, Tu tamen Iehoua pater noster.

4. Reg. 22. vers. 20. Deus pijssimo Regi Iosiæ pro magno beneficio promittit, quod esset ante moriturus, ne videret mala, quæ ventura illi loco & populo minabatur. Ecce inquit ego apponam te ad Patres tuos, & non videbis omnia mala, quæ ego induco in locum hunc, & qui commorantur in eo:

Eccles. 9. vers. 5. 6. Viuentes sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria eorum. Amor quoq; & odium & inuidia simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo, in opere quod sub sole geritur.

Dauidis quoq; testimonium huc allegat Augu. *Psal. 26. ver. 9. 10. 14. Ne auerte inquit faciē tuā à me Domine, Adiutor meus esto ne derelinquas me,*

me, neq; despitias me Deus salutis meæ, Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me dominus autem assumpsit me.

Psal. 145. vers. 3. 4. 5. Nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non est salus exibit spiritus eorum, & non reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Iob. 5. vers. 1. Clama nunc qui respondeat tibi, & ad quem sanctorum vertes te? Item. cap. 14. vers. 21. Glorificabuntur filij eius & nesciet aut affligentur & non aduertet eos.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si animæ defunctorum sanctorum nihil eorum sciunt, quæ geruntur sub sole, si patres nostri & matres nos reliquerunt, & nostra negotia ignorant, intercedere pro nobis ante Deum in cœlis neq; sciunt, neq; possunt,

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexi hypothetici consequentia sic probatur. Iacobus Apostolus cap. 5. vers. 16, indissolubili nexu coniungit orationes mutuas, & confessionem atq; cognitionem mutuarum necessitatum, ait enim, Confitemini alterutrum peccata

vestra,

vestra, & orate pro inuicem. Si itaq; hæc duo coniuncta sunt & alterum eorum animabus sanctorum inesse non potest, neq; alterum inesse potest.

Assumptum expressis testimonijs firmum est. Si enim tanti Patriarchæ, quid erga populum ex ipsi procreatum ageretur ignorarunt, & si ibi sunt spiritus defunctorum, vbi non vident quæcunq; aguntur, & eueniunt in ista vita hominum, neq; vllam habent partem in opere quod sub sole geritur, & si ita prorsus emigrant ex hoc seculo vt nihil iam ipsis commune sit cum his qui viuunt sub cœlo, nec sciant aut curent, siue opulenti siue inopes siue clari siue obscuri sint liberi ipsorum quos post se reliquerunt, qui quæso credibile esse potest defunctos interesse rebus humanis & ea cognoscere?

Hoc est quod Augustinus in libro de cura pro mortuis cap. 14. allatis testimonijs confirmat, animas defunctorum ignorare quid hic nobiscum agatur.

Hieronymus in Ecclesiasten cap. 9. Viuentes metu mortis possunt bona operari, mortui verò nihil valent ad id adijcere quod semel secum tulere de vita, & obliuione obuoluta sunt omnia, iuxta illud quod in Psalmo scriptum est, obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde, sed & dilectio eorum & odium, & æmulatio, & omne quod in se-

seculo habuerunt mortis finitur aduentu. Videantur sequentia Ieronymi verba in quibus prolixè disputat animas defunctorum nihil eorum cognoscere quæ gerantur sub sole.

Locus secundus.

1.Tim.2.vers.5. Vnus est mediator Dei & hominum homo Iesus Christus.

Rom.5.vers.2. Per Christum habemus accessum per fidem, in gratiam istam in qua stamus,& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Ephes.2. vers.18. Quoniam per Christum habemus accessum, ambo in vno spiritu ad Patrem.

Heb.7.vers.25.vnde & saluare Christus in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.

Heb.9. vers.15. Ideo & Noui Testamenti mediator est vt morte intercedente, in præuaricationum earum redemptionem, quæ erant sub priori Testamento,repromissionem accipiant, qui vocantur,æternæ hæreditatis.

Heb.12.vers.34. Accessistis ad noui Testamenti mediatorem Iesum & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.

Rom.8.vers.34.Christus Iesus est qui mortuus est,

est, & resurrexit pro nobis, qui etiam interpellat pro nobis.

1. Iohan. 2. vers. 1. Si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Ex his scripturæ locis sequens conficitur

Conclusio.

Si Christus Dei filius vnicus est mediator inter Deum & homines, nulla opus est interceßione diuorum in cœlis.

Sed Christus solus est mediator inter Deum & homines.

Ergo sancti demortui non orant neq; intercedunt pro nobis.

Connexum planum est. Assumptum expreßis scripturæ locis nititur, nisi pontificij euincant illa scripturæ loca non esse intelligenda, de Mediatore (vt ipsi vocant) interceßionis sed duntaxat mortis. Quod nunquam facient. Iohannes enim (vt de cæteris taceã) coniungit hæc duo Aduocatum, & propitiationem pro peccatis nostris. Adde quod cum Christus mitteretur ad nostram salutem reparandam, duplex illi impositum fuit officium, Doctoris, & Sacerdotis, veluti Paulus Heb. 4. vers. 12. & 14. item cap. 5. vers. 6. & 7. docet. Iam vero Sacerdotum munus erat non solum offerre sacrificia pro peccatis populi sed etiam orare vt patet ex his locis

Exod 29.verſ.44. Leuit 10.verſ.1. Num.3.verſ.10. Deut.32.verſ.5.1.Reg.2.verſ.28.35. Ezech. 44. verſ.15. 20. Malach.2.verſ.4. Si itaq; Chriſtus verus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, Pſal,109.verſ.4. Heb. 5.verſ.6.cap.7.verſ.17. eius certè ſolius verum & genuinum officium eſt intercedere pro nobis apud Patrem. Huc pertinet illud Auguſtini Tu inquit ſacerdotem ſi quærere vis, ſuper cœlos eſt, & interpellat pro te, qui in terris mortuus eſt pro te.

Locus tertius.

Ioh. 14. verſ. 14. cap. 5. verſ. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine MEO dabit vobis.

Rom. 8. verſ. 3. 4. Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imo vero qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui etiam poſtulat pro nobis.

Ex his locis ſequens conficitur concluſio.

Si in vnoquoq; interceſſore duo neceſſario requiruntur 1. vt expreſſum Dei Præceptum extet, expreſſa promiſsio, quæ conſcientiæ noſtræ certò perſuadeant Deum velle nos exaudire per eum interceſſorem, qui pro nobis intercedit, 2. vt meritæ interceſſoris ſint propoſitæ, quæ promereantur eorum exauditionem, pro quibus orat: Hæc autem requiſita in ſanctis inueniri non poſſunt, ſequitur eos non poſſe pro nobis intercedere.

Sed

Sed antecedens verum est

Verum igitur & consequens.

Connexum explico: Duo illa requisita in vnoquoq; vero intercessore concurrere debent: Iam verò nemo vnquam extitit de quo promissio extaret, Deum velle aliquos eos nomine exaudire, præter Christum, vt Iohannes in loco à me hic citato testis est, Neq; vllius extant merita, cuius ob respectum Deus preces hominum exaudiat, præterquam solius Christi, vt in loco Pauli à me hic posito videre est. Quare sequitur nullum sanctum in cœlestibus posse pro nobis intercedere. Sed iam hic video hiantia ora papistarum, qui clamitant Sanctos in vita beata non suo, sed Christi nomine atq; merito intercedere, neq; hoc obesse, aut detrahere dignitati Mediationis Christi. Cum & Angeli in cœlis in eius nomine intercedant, & viui pro viuis in hac terra. Hic igitur ad prius argumentum illos reuoco, atq; affirmo. Aliam esse Angelorum & hominum in his terris constitutorum rationem alium deniq; animarum statum. Angeli etenim cum vrbium, prouinciarum, & secundum quosdam etiam singulorum hominum sint præsides, homines vero viui, mutua hic colloquia, mutuas sentiant necessitates nihil impedit quo minus in Nomine Christi mutuas exerceant preces. Quis verò hæc animabus defunctorum attribuere iure poterit? Nemo.

Ascribam modò aliquot veterum Patrum testimonia.

Chrysostomus Hom. 6. de profectu Euangelij: Non inquit opus est patronis apud Deum, nec multo discursu, vt blandiare alij, sed licet solus sis, patronisq; careas, ipse tamen per te voti compos eris.

Idem Hom. 12. de Muliere Cananea: Dic mihi mulier quomodo ausa es, cum sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego inquit noui quid agam. Vide prudentiam mulieris, non rogat Iacobum non obsecrat Iohannem, neq; pergit ad Petrum, nec intendit ad Apostolorum chorum, non quæsiuit mediatorem, sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & sic ad summum fontem perrexit.

Idem ibidem. Nam si hominem rogare volueris, interrogas, quid facit? & audies, dormit, aut non vacat, aut certe non dignabitur respondere minister tibi. Ad Deum autem, nihil horum opus est, sed vbicumq; fueris aut inuocaueris, audit te, non ostiario, non mediatore, non ministro opus est, sed dicito, Miserere mei Deus.

Idem de Muliere Cananea: Vis discere quod etiam per nosipsos orantes apud Deum plus efficiamus, quam dum alij pro nobis orant, (clamauit mulier cananea) & accesserunt discipuli, & dicunt dimitte eam quia clamat post nos, & ad illos dicit:

Non

Non sum missus nisi ad oues perditas Domus Israel: Quando autem ipsa accessit & perseuerauit clamans, beneficium dedit ei, & audiuit, fiat tibi sicut vis, vides quomodo repulit, cum alij precarentur, vbi vero ipsa orans clamauit, amauit.

Idem in Matth. cap. 1. Hom. 5. multò magis nostro quam alieno tuti sumus suffragio.

Augustinus in Epist. Ioh. Tractatu 1. Ille talis vir non dixit, aduocatum habetis apud patrem, sed, si quis peccauerit aduocatum, inquit, habemus, non dixit, habetis, nec me habetis dixit.

Ibidem: Sed dicet aliquis, Ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi, vel præpositi non petunt pro populo? Respondet: viuos pro se orare.

Ambrosius in epist. ad Romanos: Solent misera vti excusatione dicentes, per istas posse ire ad Deum sicuti per comites peruenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, & salutis suæ immemor, vt honorificentiam regis vindicet, comiti, cum hac de re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure & rei damnantur maiestatis? Et isti non putant reos qui honorem nominis Dei, deficerunt creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant, quasi non sit aliquis, cui seruiatur, Deus.

Nam & ideo ad regem per tribunos & comites itur, quia homo vti q; rex, & nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem

quem vtiq; nihil latet (omnium enim merita nouit) promerendum suffragatore non est opus, sed mente deuota. Vbicunq; enim talis locutus fuerit nihil respondebit.

Hilarius super cap. 25. Matth. Quia inquit prodire obuiam fatuæ virgines extinctis lampadibus non possunt, deprecantur eas, quæ prudentiores erant, vt oleum mutuent, quibus responderunt, non posse se dare, quia non sit forte quod satis sit, alienis enim meritis & operibus nemo adiuuatur, quia vnicuiq; lampadi suæ emere oleum necesse est: Hactenus omnes huius capitis quæstiones (vt modus & ratio huius scripti postulabat) examinauimus, quamobrem Thesis nostra ex omnibus prædictis plana est ac perspicua, Nempè: Animas sanctorum in cœlis iugis laudibus Deum celebrare, consummationem regni gloriæ ardenter expectare, nec pro nostris necessitatibus apud Deum intercedere.

Finis libri primi.

Liber Secundus.

DE OPIFICIO ATQVE PERFECTIONE HVMANI CORporis.

DE HVMANAE animæ opificio, eiusq; statu tam in corpore, quam extra corpus, quantum huic nostro instituto necessarium esse putabamus, priori libro disseruimus. Dicendum iam nobis est, de opificio, & perfectione humani corporis, altera nimirum μικροκόσμου, hoc est, parui mundi parte essentiali.

Quod vt facilius à nobis præstari possit, totus hic liber secundus quatuor duntaxat his capitibus absoluetur.

Primum est: An corpus animæ sit carcer, aut locus, in quo animæ pœnas luant, & tormenta patiantur.

Secundùm erit, de perfectione & pulchritu-

dine humani corporis, quam consideratio causæ efficientis, & materialis ob oculos proponit.

Tertium, de perfectione, & pulchritudine, quam concinna partium corporis collocatio exhibet.

Vltimùm, de pulchritudine & perfectione humani corporis, quam eius figura, situs, atq; erecta proceritas commendat. His pertractatis finem huic libro imponemus.

CAPVT I.

An corpus animæ sit carcer, & locus in quo animæ hominum pœnas luant, aut tormenta patiantur.

ORigenes Adamantius, vt maximi, ita ad καινῶν δογμάτων cumulum parturiendum propensi ingenij homo, plurimos in Ecclesiam inuexit errores, adeò vt ab erroribus, professioni quæ Origenistarum est, nomen dederit. Hic inter alia sui delirij capita, mirum in modum defendit, corpora humana à Deo creari, vt sint carcer, & supplicij locus, quo iam olim creatæ animæ, propter præcedentia peccata detrudantur. Vnde corpus à Græcis δέσμος vocari docet, id est

vinculum

vinculum, & σῶμα quasi σῆμα, hoc est, animæ sepulchrum. Hoc vtiq; Pythagoricum est, & Platonicum, quemadmodum videre est apud Platonem in Gorgia, & Cratylo, item Macrobium Platonicum libro secundo in Som. Scip. cap. 12. qui animam ideo ψυχὴν hoc est, frigidam vocari opinantur, quòd corporis consortio refrigeretur. Quamobrem (vt Porphyrius Platonicus tradit) omne corpus, frigidum à minoribus Dijs creari, vt æstuantem peccatis animam refrigerare posſit, perhibent. Hinc est quod Porphyrius Platonicus, teste Augustino libro 22. de Ciuit. Dei cap. 26. censeat, animæ omne corpus esse fugiendum, si beatam se esse cupit. Cæterum Athæneus lib. 4. Dipnosoph. cap. 18. & Cicero libro primo Tusc. quæst. authores sunt, Pythagoram, Carneam, & Euxitum, hunc in primis errorem inuexisse quòd animæ castigationis causa corporibus nostris alligentur. Quod ipsum tandem & Plinius libro decimo cap. 53. videtur sensisse, vbi scribit, homini primi tantum coitus esse pœnitentiam, augurium scilicet vitæ, à pœnitenda origine.

Eundem errorem suis quoq; temporibus maximè vigvisse Cyrillus ipse lib. 1. in Iohan. cap. 9. testatur, cuius propagatores Patricianos hæreticos fuisse docet Isidorus libro octauo Etym. cap. de Hæresib., qui in eo tandem dementiæ prouecti sunt

vt sim-

vt simpliciter affirmarent, humanum corpus non à Deo, sed à Diabolo esse conditum. Quodipsum & Patermani, Eunomiani, atq; Ethicoprocoptæ de inferioribus humani corporis partibus, totidem verbis sparserunt. Horum ineptias vt delicantium somnia relinquentes, videamus paucis corpus humanum non propter animæ tormenta ceu carcerem esse conditum, sed vt conueniens habitaculum, quod anima non minus amet, quàm propriam vitam, & incolumitatem.

Thesis.

Dico corpus humanum, eximium Dei opificium, non esse locum supplicij aut tormentorum, in quo animæ pœnas luant, sed vt sapientissimum Dei creatoris opus, cuius propagatio, & longæuitas, maximi sit loco beneficij diuini.

Locus primus.

Gen. 1. vers. 27. 28. Creauit Iehoua hominem ad imaginem suam masculum & fœminam creauit eos, Et benedixit eis Deus, dixitq; ad eos, crescite & multiplicamini, & replete totam terram.

Gen, 15. vers. 5. Eduxit Deus foras eum (Abrahamum) & dixit suspice nunc cœlum, & numera stellas, si tamen poteris numerare eas, additq; ei: Sic erit semen tuum.

Deut.

Deut. 1. vers. 10. 11. Sic Moses filios Israel alloquens benedicit Iehoua Deus vester multiplicauit vos, ita vt sitis hodie sicut stellæ cœli in multitudine. Iehoua Deus patrum vestrorum, addat super vos sicut estis mille vicibus, & benedicat vobis, quemadmodum loquutus est vobis.

Ex his locis sequentem conficio conclusionem.

Si Deus primis parentibus maximæ benedictionis loco inseuit, vt crescerent, multiplicarentur & replerent totam terram, ac ex eadem benedictione promisit Abrahæ fore semen suum vt stellas cœli, Moses verò maximam quæq; populo cupiens. Orat vt mille vicibus à Deo multiplicetur. Falsum est corpora nostra locum supplicij & tormentorum esse in quo animæ excrucientur.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum planum est: Si enim verum esset corpora animarum esse tormenta, contrarium potius benedictionis loco primis parentibus promittere debebat, nec Moses populi multiplicationem tantopere cuperet.

Assumptum firmum est expressis scripturæ locis.

Locus secundus.

Sap. 8. vers. 30. 31. Quando firmabat cœlos pone-

ponebat mari fines & fundamenta terræ describebat, eram apud eum veluti aluminus, & eram in lætitijs quotidie, & delectationes meæ cum filijs hominum.

Genes. 1. vers. 31. Viditq; Deus omne quod fecerat & erat valdè bonum.

Iohan. 16. vers. 22. Mulier cum parit dolorem habet quia venit hora eius, cum autem genuerit puerum, iam non meminit oppressionis, quod gaudeat hominem esse genitum in mundo.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si æterna Dei Sapientia non solum ipsa per se creatione rerum omnium & presertim hominis delectatur, sed etiam naturaliter, homini inseuit, vt incredibili gaudio super natum infantem lætetur, deniq; si omnia quæcunq; Deus creauit valdè bona sunt, sequitur, corpus non esse tormentorum & supplicij locum.

Sed antecedens verum est:
Verum igitur & consequens.

Locus tertius.

Gen. 7. vers. 1. 4. Dixit Dominus ad Noah, ingredere tu & tota Domus tua Arcam, quia te vidi iustum coram me. Et post dies adhuc septem ego pluam super terram, quadraginta dies, & qua-

quadraginta noctes, deleboque omnem substantiam quam feci à superficie terræ.

Exod. 20. vers. 12. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt prolongentur dies tui super terram.

Esa. 38. vers. 5. Hæc nunciat Deus Ezechiæ prolongationem vitæ petenti. , Audiui orationem tuam, ecce addo diebus tuis quindecim annos.

Dan. 3. vers. 23. 24. Tres viri Sadrach. Mesach. Abednego incedebant in medio flammæ Deum benedicentes. Item vers. 49. Angelus Domini qui vna cum Azariæ socijs in fornacem descenderat discussa à fornace ignea flamma, vt ignis eos intactos relinqueret.

Dan. 6. vers. 22. Daniel in lacum leonum missus ait: Deus meus misit Angelum & concludit os leonum, & non perdiderunt me, quia coram eo iustitia inuenta est in me.

Ex his scripturæ locis sequentem conficio conclusionem.

Si Deus iustè viuentes hoc beneficio, atq; præmio solet remunerari, vt vitæ huius corporalis cursum proroget: si iustum Noam, tanquam gratissimum sibi hominem, in arca conseruauit, dum impij omnes diluio submergerentur: si posteritati parentes veneranti maximi beneficij loco promittit vitam longæuam: Si Ezechiæ non calamitatẽ aut cruciatum largitus est Deus, cum quindecim annos diebus vitæ eius adiecit: Deniq; si pueris

tribus, & Danieli iustitiæ præmium reddidit, dum illos è flammâ, hunc è leonum faucibus eripuit, falsum est corpora nostra locum esse tormentorum & supplicij in quo animæ pœnas luant.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum nulla indigens explicatione, per se planum est. Assumptum verò expressis scripturæ testimonijs nititur.

Locus quartus.

Eph. 5. vers. 29. Nullus vnquam suam ipsius carnem odio habuit, immò enutrit, & fouet eam.

Ex hoc loco sequentem conficio conclusionem.

Si anima incredibili ardore diligit suum corpus, & illi vitam tribuit, eandemq; fouet, & conseruat: falsum est corpora animarum tormenta esse. Sed anima impensè diligit suum corpus, illi vitam tribuit, atq; eandem fouet.

Ergo credibile non est corpus tormentum esse animæ.

Connexum per se patet, Nemo enim hoc diligit, quod in sui conseruationem non putat conducere, sed potius fugit, & auersatur.

Assumptum

Assumptum expresso Pauli testimonio nititur. Cui astipulantur patrum quoq; testimonia.

Bernhardus in Sermone de Clemente Papa: Dic inquit, quaeso anima sancta, quae si corpus tuum supplicijs exponis (in martyrio) obsecro diligebas illud an non? Vtiq; diligebam inquit, nemo enim vnquam odio habet carnem suam. Diligebam ergo eam, sed tanquam ancillam, & multo magis diligebam Dominum Deum.

Idem in Tractatu de diligendo Deo, capite, sed si: Bonus planè fiduq; comes caro spiritui bono, quae ipsum aut si onerat, iuuat, aut si non iuuat, exonerat, aut certè iuuat, & minimè onerat. Primus status laboriosus sed fructuosus, secundus ociosus, sed minimè fastidiosus, tertius est gloriosus. Idem: Tantam habet vim animae & carnis dulce consortium, vt licet diem mortis omnes affuturum sciant, eum tamen penè omnes differre cupiant, etiam qui post mortem se beatos credunt esse victuros.

Hieronymus in Psal. 133. Manichaei dogma refellens, qui censebat animas cupere è cœlis ad sua corpora redire, tædio cœlestis vitae, tradit animas quidem cupere assumere sua corpora non tamen tædio vitae, sed potius vt gloria earum perfectior fieret.

Locus quintus.

Esa. 26. vers. 29. Mortui tui viuent, cum ca-

dauere meo resurgent, Expergiscimini & laudate habitatores puluëris.

Vers. 21. Et reuelabit terra sanguines suos & non operiet vltra interfectores suos.

1. Cor. 15. vers. 22. Sicuti per Adam omnes moriũtur, ita & per Christũ omnes viuificabũtur.

Ex his locis scripturæ sequentem conficio conclusionem.

Si Propheta Esaias singulare quoddam nobis gaudium annuntiat, clamans, mortuos resuscitari: & si Christus ingentis loco beneficij resurrectionem nostrorum corporum sua morte donauit, falsum est corpora nostra tormenta esse animarum.

Sed antecedens verum est.

Verum igitur & consequens.

Connexum patet. Nam si corpora nostra animabus nostris pariunt supplicia, clamandum erat potius Esaiæ, magna mœstitia affici rursus in corpora redeuntes animas: Et Christus non modo nullum sua resurrectione nobis attulit beneficiũ sed contra summo nos perpetuoq; affecit supplicio. Assũptũ fidem sibi facit expressis scripturæ locis.

Locus sextus.

Rom 12. vers. 1. Sistatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, & acceptam Deo.

Ex hoc loco sequens concipitur conclusio.

Si corpora nostra, in odorem suauitatis oblata, acceptissima sunt Deo, non sunt supplicia animarum nostrarum.

Sed

Sed corpora nostra, vt hostiæ viuentes, Deo sunt accepta,
Igitur nō sunt tormenta, & animarum supplicia.
Adscribam modo aliquot veterum patrum testimonia.

Aug. de spiritu & Anima. Quibusdam, inquit, affectibus, & quadam amicitia, anima corpori cōiungitur, secundum quam amicitiam, nemo carnē suam odio habet, sociata namq; illi licet eius societate prægrauetur, ineffabili tamen conditione diligit illud, amat carnem suam, & ideo libera esse non potest. Oculorum pascitur speculatione, sonoris delectatur auditibus, suauissimis iocundatur odoribus, larga epulatione reficitur. Et licet his rebus nullatenus ipsa vtatur: graui tamen mœrore affligitur, si subtrahantur.

Idem lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 26. Si autem nostra institutio, qua vel mortales conditi sumus, diuinum munus est, quomodo pœna est ad ista corpora, id est, ad diuina beneficia remeare.

Idē lib. 13. cap. 20. Si carnē suam non oderant (animæ) quando eam suæ menti infirmitate resistentem spirituali iure coërcebant, quanto magis eam diligunt etiam ipsam spiritualem futuram.

Hieronymus ad Pammachium, aduersus errores Iohannis Ierosol. Si offa est, inquit, & pœna nasci in corporibus humanis, quomodo Isaac Samson, Iohannes Baptista, de repromissione nascuntur, & in vtero matris benedicuntur?

Hæc quæ attulimus ad perſpicuam noſtræ theſeos veritatem confirmandam, corpus humanum non locum carceris ſed eximium Dei opificium eſſe de plano oſtendunt.

Caput ſecundum.

De perfectione & pulchritudine humani corporis, quam cauſſæ efficientis & materialis conſideratio ob oculos proponit.

Commune eſſe iudicium ait Hilarius in Pſal. 118. inter omnia terrena Dei opera, nihil homine vtilius nihil eſſe ſpecioſius, nihil pulchrius, nihil perfectius. Quod tum ex multis alijs rebus, cum præcipuè à conſideratione cauſſæ efficientis corporum humanorum, & cauſſa materiali oſtendi poſſe, non abs re exiſtimatur. Quamobrem in hoc capite explicari conabimur, quam nobis humani corporis perfectionem cauſa eius efficiens, & materialis proponant. Ac initio quidem de cauſæ efficientis, poſtea de conſideratione cauſſæ materialis ſermonem faciemus.

Cauſſam efficientem corporis humani non fingimus eſſe dæmonem cum Patricianis paternianis, Eunomianis, & Ethicoprocoptis hæreticis, ſed ex diuino illo fideliſſimoq; Phyſico Moyſe Deum opt. Max. eſſe confirmamus. Ait enim ille Gen. 2. verſ. 7. Formauit Iehoua Deus hominem ex puluere terræ Quod cum ita ſit, duo circa hanc cauſam efficientem

tem expendamus. Primum est, Quomodo Deus hominem creauerit, Deinde, quis, qualisue, & quantus sit, qui corpus hominis finxerit.

Ad primum quod spectat, non simpliciter narrat Moyses, corpus humanum à Deo creatum esse, sed præterea addit, Deum peculiare consilium, singularemq; deliberationem in creatione hominis adhibuisse.

Viuentis enim animæ productionem terræ esse, & aquæ imperatam expresse docet, cum ait: Producant aquæ reptile animæ viuentis, producat terra animam viuentem, iuxta speciem suam: Hominem verò non solo mandato condidit, non terræ, aut aquæ imperat producendum, sed adhibita singulari deliberatione, manibus suis, vt peculiare suum opus fingit, vt vel eo ipso ostenderet, diuersum hoc à reliquis, & planè incomparabile opus esse. Atq; hoc illud est, quod Hilarius in enarrat. Psal. 118. maxima cum admiratione scribit: In creatione mundi omnia verbo effecta esse accepimus, cum dicitur, fiat lux, cum dicitur, fiat firmamentum, cum dicitur, appareat arida, cum dicitur, generet terra herbam. cum dicitur, fiant luminaria, cum dicitur, eiiciant aquæ reptilia animantium viuorum. Ergo omne ex quo, vel in quo mundi totius corpus creatum est, originem sumit ex dicto, & subsistere in id, quod est ex verbo Dei cœpit. Verum de homine ita Deus locutus est.

Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram. Differt itaq; natura & origo hominis ab institutione vniuersæ creationis, & propriè de eo antè & tractatur, & confirmatur vt fiat, cum cætera sine quadam consilij sententia esse sint iussa. Habet.n. primam hæc origo hominis dignitatem, quod ei propriu̇m fuit de se antè tractari: secundam quod manus Domini hominem fecerint, iuxta illud Psal. 118. vers. 73. Manus tuæ fecerũt me & preparauerũt me: Egregia itaq; hæc & singularis creandi hominis ratio cocuples testis esse potest hominem omnium rerum terrenarum perfectiorem atq; formosiorem esse.

Expendamus modo alterum, quis qualis & quantus sit, qui corpus humanum finxerit, hinc.n. facilè tibi persuadebis, nullum corpus perfectius nullum formosius esse in mundo sublunari corpore humano: Tria vero sunt quæ in primis in creatore corporum deprehendimus, Bonitatem summam, sapientiam perfectissimã, & formositatẽ siue pulchritudinẽ admirabilẽ. Bonitatẽ dico summã hinc inesse opifici, quod ipsum Dauid Psal. 117. vers. 2. cap. 145. vers. 15. & Christus ipse Matth. 19. vers. 17. Marc. 18. vers. 18. Luc. 18. vers. 19. comprobã. Quæ bonitatis siue boni perfectissimi natura est? Nempe, vt in primis id alijs communicet quod ipse est per se, quod profecto Deum præstitisse indicat Moses Gen. 1. vers. 31. dum ait cuncta quæ fecerat, fuisse valde bona & perfecta. Etsi aũt cuncta quæ Deus fecit valdè bona esse sui respectu dicantur, ni

hil tamen impedit in diuersis rebus à Deo conditis diuersos esse bonitatis gradus, quod ipse Moyses indicat, qui cap. 1. vers. 4. distinctè de luce ait, quod esset bona, & sic de reliquis ordine. Non fuisset aüt nisi superuacaneum ita distinctè de singulis rebus (vt ait Zanchius) pronunciare quod sint bonæ, si vna esset duntaxat formalis omniū bonitas. Quare his distinctis de vna quaq; re sententijs apertè docuit Moyses varias & distinctas esse rerum interse bonitates & perfectiones. Secat aüt scriptura res creatas in duo prima genera, in res scilicet inuisibiles, & sensibus subiectas. Ac illas quidem vt sunt Angelici spiritus, longè præstantiores esse docet istis, plura. n. & excellentiora dona illis largitus est creator quam his, vt est videre Coloss. 1. ver. 16. Ac etiam inter res sensibiles, non est æqualis bonitas & perfectio. Rerum. n. sensibilium aliæ sunt intellectuales & ratione præditæ, vt homines, aliæ rationis expertes.

Testantur autem sacræ literæ longè excellentiores esse rationales creaturas, secundum vtramq; substantiam, quam sint bruta animantia, & ob id narrat Moses Gen. 1. vers. 28. hominem reliquarum creaturarum & regem constitutum esse. Hunc etenim ordinem in creaturarum denominatione Deum obseruasse legimus, vt Adam omnibus animantibus seipso excepto nomina imponeret. Adamo autem ipse Deus, vt declararet hominem animantibus omnibus perfectiorem esse, eorumq; Dominum, Hominis vero solum Deum. Ex quibus manifestum est, corpus hominis ad reliquas creaturas terrenas collatum, Bonum illum opificem, longè perfectiori & meliori bono ornauisse, quam

brutorum, quæ non manus Dei, sed mandatum duntaxat formauit.

Dixi secundo loco in Opifice humani corporis summam sapientiam nos debere considerare. Est enim non bonus modò sed & perfecte sapiens sap. 8. vers. 1. Attingit omnia à fine vsq; ad finem, ἔυρρωστος, fortis & robusta, & disponit omnia χρηστως, vtiliter, commodè, atq; iucundè. Hæc autem perfecta opificis sapientia cum per se ipsa hominem formauerit, sitq; omnium sapientissima, arte quoq; inter cætera vt singulas corporis partes ad priuatim conuenientibus absolueret numeris, & apte in vniuersum cohærere faceret, necesse fuit, & vt ad eam per omnia quadrantem commensionem & habitudo bona, & coolor appositissimus adderetur ob id fuit necesse, vt quam maxime sapientissimum opificem decet pulcherrimus homo corporis structura appareret.

Si enim inter creatores formarum artificialium hoc est homines quo quis artis est peritior, & quo sapientior, eo perfectiores, & pulchriores suæ artis producit formas, ita profecto, cum Deus sit Creator formarum naturalium sapientissimus, quicquid sua manu effingit id totum & perfectissimum & pulcherrimum necesse est esse. Ad hanc sapientiam pertinent illæ variorum in humano corpore membrorum distinctiones, & admiranda ordinis collocatio: caput enim in arce summa, & in eo oculos instar feneſtrarum posuit, subiectum est illis os per quos cibos caperet

homo, postea pectus ad præcordia vitalia contineret, ventriculus ad concoquendos cibos, femora crura, poplites, & pedes, quæ omnia cum sic ordinata vicuntur, tum summam opificis sapientiam testantur, tum deniq; præstantiam humani corporis, & pulchritudinem deprædicant. Sed de his infra latius dicetur.

Tertio loco dixi in creatore corporis humani considerari debere summam formositatem, & ineffabilem pulchritudinem. Etsi verò facilius Deus a nobis appeti & desiderari potest, quam quanta sit eius pulchritudo, formositas, & gloria cognosci: Eius tamen summa & ineffabilis formositas, ex eo facilè colligitur, quod omnia Deum appetunt, & desiderant. Quid enim magis omnia appetunt, quam vt sint Deo similes? Vt non immeritò serpens hoc argumento peccatum primis hominibus persuaserit. Eritis similes Deo: Hanc quoq; existimo fuisse causam, cur tantopere formam Dei Moyses desiderabat. Exod. 33. ver. 18. Et Apostolus testatur summam hanc fœlicitatem nostram in cœlis futuram, quod Dei pulchritudinem aspiciemus facie ad faciem 1. Cor. 13. ver. 11. Huc spectant dicta, & desideria. quo Angeli Dei & sancti eius cupiunt videre faciem Dei, vel saltem ad eius gloriam & formosissimam maiestatem introspicere: Quo ipso vtiq; significatur, tantam esse Dei pulchritudinem, qua se sanctis Angelis &

animabus amabilem reddit, vt omnes cupiant eius videre faciem, & quo quis melius eum videbit, eo plus atq; diutius, ardentiusq; cupiat intueri.

Quid? Solis, Lunæ, cæterorumq; Planetarum, & fixarum stellarum scintillantem pulchritudinem, nemo abunde admirari potest, quid itaq; de ineffabili illa gloriæ Dei pulchritudine iudicabimus? Hoc nempe est quod ait Aug. lom. 3. de spiritu & anima: In illa Trinitate summa originem esse rerum perfectissimæ pulchritudinis, & beatissimæ dilectionis. Iam vero Deus qui idem & optimus est, & famosissimus cum propria ipse manu hominem de puluere terræ finxerit, nonne expressum suæ pulchritudinis, & formositatis vestigia in eo reliquit præsertim cum decreuerit in formatione corporis, domum, pariter & regiam imagini suæ erigere. Et hactenus quidem quæ sit humani corporis perfectio atq; pulchritudo a causa efficiente consideraumus.

Nunc accedo ad causam Materialem. Materiam ex qua hominis corpus creatum est non minus indicat Moses, quam Efficientem. Ait enim Gen. 2. vers. 7. Formauit Iehoua hominem ex LIMO TERRAE.

Nunc considera conditionem & pulchritudinem materiæ huius, cum terra tum recens existeret, secreta ab omni aquarum mole quod mare appellatum est, esset q; (vt Abdias Babylonius in vita beati Thomæ vnicum hoc verum dicere

materi-

materies eius iurgo nec sanguine humano polluta nec ad cuiusq; mortui sepulchrum aperta, sequebatur profectò vt materia hæc syncera, & infucata, puraq; esset, ex qua quicquid conficiebatur merito erat inculpabile, merito formosum. Adde quod non ex quauis terræ parte (vt brutorum corpora) videtur Deus hanc humana speciē statuam forma e voluisse, sed selecta vndequaq; optima. Ait enim Moses corpus humanum non simpliciter ex terra, sed ex limo terræ esse formatum singulari industria conquisito. Imò vt Philo ait, neq; simpliciter Deum ex limo terræ corpus formauisse sed quod inerat purissimum accurate excolasse, & ad hoc opus maximè accommodatum & aptum se legisse. Domus enim quædam & templum sacratum fabricabatur rationali animæ, quam illa diuina imago circumferre debebat. Hinc factum est quod hominem ex huiusmodi purissima & excolata materie formatum אדם Adam vocauit, quia terra ex qua sumptus est אדמה Adamah (quod Authore Iosepho lingua Hebraica rufum sonat, quòd è rubēte candenteq; tum noua terra formatus sit) appellatur. Huc pertinet illud Augustini. Antequam peccasset Adam, anima erat rationalis perfecta & beata, corpus habens non quale nunc habemus fragile, sed quale congruebat tali animæ quæ nondum in se Dei similitudinem praua voluntate corruperat quale nos quoq; post resurrectionem habituri sumus, cum eadem anima eandem similitudinē assumpserit. Huiusmodi corpus vocat

Paulus spirituale 1. Cor. 15. vers. & Matth. cap. 13. v. 43. fulgori solus comparat. Ex quibus colligere promptum est quæ fuerit pulchritudo, quis decor formati corporis, quæ etiamnum eius perfectio atq; formositas. Et hactenus perfectionem humani corporis & pulchritudinem à causa efficiente & materiali leuiter considerasse sufficiat.

CAPVT III.

De perfectione & pulchritudine humani corporis quam Concinna partium eius collocatio ob oculos proponit.

MEmbra definiunt Medici solidas esse animalis partes, ex similaribus & dissimilaribus compositas, & ad aliquod speciale officium deputatas. Ex qua definitione intelligimus duplicia esse in corpore membra, similaria, & dissimilaria.

Similaria membra vocantur, quorum quælibet particula, eiusdem est naturæ cum toto, sicut quælibet pars sanguinis est sanguis, carnis est caro.

Dissimilaria verò quæ ex partibus dissimilaribus componuntur, vt manus constat ex osse, neruis & carne. Hîc nos de membris exterioribus humani

mani corporis, vt sunt dissimilares quanta id fieri poterit breuitate tractare instituimus, idq; dundaxat, quatenus ad perfectionem, ac pulchritudinem humani corporis facere videbantur.

De Capite.

Caput in ipsa corporis arce produxit opifex. Requirebatur enim, vt quacunq; corporis parte sensus initium capiunt, quæq; regia dignitate totum corpus gubernat, in sublimi specula Collocaretur. Et quoniam corporalis motus, qui sensum sequitur, sine interuallis temporum nullus est, agere autem interuallo temporum spontaneo motu non valemus nisi per memoriam: ideo tres tanquam ventriculos in cerebro distinxit sapientissimus opifex: Vnum anteriorem ad faciem, à quo est sensus communis: alterum posteriorem ad cerui cem, à quo est memoria: tertium inter vtrũq; medium collocauit, in quo iudicium viget.

Concurrunt autem in capitis compositione, 1. durorum ossium firmitas, ne externis iniurijs, quibus obnoxium est citò cædat. 2. Cerebri plenitudo. 3. Carnium exteriorum paucitas. 4. Omnium ossium limpiditas. 5. Capillorum multitudo. 6. Pori frequentes, vt ceu caminus fumositates copiosas è corpore ascendentes in se recipere possit.. Vltimò, Sphærica figura, quæ propria & peculiaris est humani capiti. Omnia enim reliqua animantia oblonga habere capita videmus, solus homo

homo sphericum caput sortitus est, tanquam animal dignissimum æternitati dedicatum. Vt enim figuræ sphericæ nullus finis, nullus apparet terminus: sic homo ex omnibus animantibus solus teste sapiente Sap. 3. vers. 4. ad immortalitatem conditus est.

De oculis

Oculos tanquam fenestras seu (vt Christus appellat) lucernas, in summa regia collocauit Creator, atq; ex omnibus sensibus hunc vicinissimum animæ (si anima in cerebro sedem habeat) coniunxit, ideo & nobiliorem constitutionem inter omnes sensus adeptus est.

Humores Tunicæ

Etenim tribus humoribus Aqueo, Vitreo & Chrystallino, quinq; item tunicis contegitur, & altiore quam reliqui sensus loco fruitur. Cæterum quia oculi reliquis membris teneriores & molliores sunt, qui citò læsi possunt, multis modis eos

Cellulæ

creator muniuit. Ac initiò quidem in profundas eos occultauit cellulas, vnde & nomen habere

Palpebræ

Varro arbitratur. Deinde palpebris concluſit, quæ cum opus fuerit visu, aperiuntur, in somno verò & iniurijs externis clauduntur. In medio oculorum punctum collocauit cui totam vim videndi

Pupilla

inseuit. Hanc pupillam medici vocant, quod in ea rerum imagines paruæ tanquam Puppæ appareant. Cinxit pupillam circulo, quo distincta nigredine aliæ partes oculi ab aliis distinguuntur.

Et ne

Et ne etiam venti pupillæ nocere possent, pilos Palpebrarum, quasi decolatorium adhibuit. Supercilia quoq; eminentia superne lunauit, ne qui descendit è capite sudor nocere posit. Cilia Supercilia.

De Fronte.

Supra oculos frontem (qui à Varrone ab oculorum foraminibus dictus esse putatur) extendit Deus, effinxitq; ex osse semicirculari, intra quod Nerui à cerebro descendentes ad sensum perficiendum, sicuti in qualum recipiuntur. Hunc opifex virtuti imaginatiuæ vicinum fecit, & ideo tristitia, vel lætitia, à rationis iudicio ad frontem subitò deferuntur, vbi postea discernuntur.

De Temporibus.

Cinxit frontem opifex duobus temporibus, quæ ex ossibus Cartilaginosis prope oculos collocauit. Hæc quoniam sunt via arteriarum, spiritus vitales à corde ad cerebrum deferentium, & continuum pulsum facientium, ideo in vallem quasi depressit, ne facile iniurijs externis sint obuia. Sunt enim passibilia & ad læsionem propensa, ad sanandum verò difficilia. Vnde Arist. lib. 19. de Hist. Anim. vulnera temporum mortalia esse solent. In his partibus signum temporis & Caniciei collocauit opifex, vnde etiam nomen sortitæ sunt. Cum enim frigidis sint contextæ ossibus, & vicinæ cerebro pituitoso, caniciei primum omnium exhibent signum.

De

De Auribus.

Duobus temporibus duæ aures adiunctæ sunt quæ omnium sonorum differentias hauriunt, vnde & nomen habent.

Constant ex Carthilagine atq; osso petroso cui nervi descendentes à cerebro infixi sunt, per quos sensus & motus subministratur auribus, & mutatio vocis à sonorum vsq; ad animam defertur. Ad quod perficiendum foramina adiuncta sunt per quæ vox intret, & aër quo vox formatur, Non tamen ex toto libera hæc foramina sapientissimus exculpsit creator, sed ad modum spiræ siue torcularis transuersa, ne frigidus aër nimis citò & libere ad neruos audibiles intraret, atq; hoc modo eos læderet.

Locum quoq; prudenter huic sensui in medio capitis designauit, vt vndiq; quæ dicuntur excipere possit, & ex omni parte sonorum differentiam comprehendere.

De Naso.

Nasum à spelunca cerebri inter duos oculos protendit deorsum, partim vt Cloaca esset cerebri, per quam superflua eijcerentur, partim deniq; vt eius ministerio odores discerneremus: Adde etiam, vt spiritum & anhelitum, (ne patulo & hiante ore pulmo corrumperetur) attraheremus & retraheremus. Attende verò quæ in hac parte sapientia appareat creatoris: Duo intus foramina

ramina naſo ſunt impreſſa, vnum quod tendit ad concauitatem palati, vt per hunc ſuperfluitas oris purgaretur, Alterum quod vergit ſurſum ad cerebrum, quo illinc aer deferatur & ſpiritus animalis ad ſenſum odoratus perficiendum inferius a cerebro attrahatur.

De Genis.

Cinxit ex vtraq; parte naſum opifex genis in ea facie parte in qua apparet ſumma corporis pulchritudo tum maximè, cum candore & rubedine mixtum perfunditur. Has prudenti conſilio fecit carnoſas, vt nutrimentum & calorem ſenſibus miniſtrarent, & deniq; vt frigiditatem oſſium temperarent. Candidas etiam & rubicundas voluit vt totam faciem exornarent.

De Mandibulis.

Mandibulum his ſubiecit ex pluribus duris oſſibus compoſitum, dentibus munitam, ex neruis atq; lacertis inuicem connexam. Quod maximè neceſſarium fuit, propter motus perpetuitatem, & propter apertionis atq; clauſionis neceſſitatem. Sunt enim mandibulæ ceu duæ molæ, ad molendum & conterendum cibum ſeſe mouentes, & toti corpori nutrimentum præparantes.

De Labijs.

Adhibuit autem mandibulis labia ex membris mollibus, carnoſis & ſubtilibus compacta, tum ne vlla deformitas in facie hominis appareret ſi man-

dibulæ & dentes obnijssent, tum denique adimpediendum & repellendum frigidum aerem, qui dentes facilè lædere posset. Hæc etiam flexibilia & mollia fecit, vt ad proferenda verba opportuna naturaliter, atq; habilia essent.

De Mento.

Mandibularum fundamentum mentũ est, vnde etiã nomẽ habet. Hoc cõpactum est ex duobus ossibus mandibularum inferiorum, & ideo mobile factum fuit, vt facile per ipsum os claudaretur. Quamobrem in mento est tum maxima fortitudo tum verò incredibilis faciei pulchritudo.

De ore.

Os quasi ostium quoddam supra mentum excauatum est, tum ad cibos capiendos, tum denique ad spiritus recipiendos, nec non etiam ad superfluitates expellendas. & quod multũ ac singulare est ad verba proferenda. Concauum verò factum est ad cibos continendum, durum ad masticandum, neruosum ad sentiendum ciborum dulcedinem, humidum & saliuosum ad cibos transglutiendum: Apparet verò in hac quoq; parte maxima Dei sapientia. Videmus enim quam multis custodijs os nostrum munijt & vt Gregorius ait penè firmauit, nempe dentibus, & labijs, vt scilicet tot carceribus & clatris clausa, mens prius deliberet & discernat, quid proferat, verbumq; prius transeat per limam quam per linguam. Eandem ob cau-

sam

sam pro corporis sui magnitudine modicum os hominis formare voluit, ne verba sine iuditio effutiret.

De dentibus.

Dentes edentes triginta duos in os maris compegit creator, quos non eadem figura, & modo formauit. Alios enim vt anteriores incisores, latos, vt secare cibos possint, ordinauit: Alios caninos acutiores binos ad vtrumq; latus coniunxit: Molares latos & fortes esse voluit, vt nimirum à prioribus susceptum cibum penitus molere valeant: Expende verò hoc quoq; loco sapientiam opificis. Primi ordinis dentibus, vt minus fortibus, vnicum suppositi radicem, secundi ordinis duos, tertij tres: vt quod à primis dentibus non potest præcidi, ad caninos transmittatur, & tandem ad molares vt penitus cibus comminui & conteri possit.

De Lingua.

Lingua, quæ cibos lingit, & verba legit naturaliter mobilis, carnosa, porosa, neruosa, oblonga, plana, subtilis, tenuis, & acuta loco concauo & humido, tanquam in carcere posita est, vt & vocum formatiua, & saporum discretiua, & animæ interpres, ac per humorem totius corporis humectatiua esse possit. Additæ sunt illi in principio duæ venæ, quæ saliuales dicuntur, à quibus saliua egreditur, & ciborum siccitas temperatur.

De Gutture.

Infra linguam ceu antrum quoddam guttur formatum est, quod est extremitas canalium pulmonis: Ac quam hic quoq; exercuerit Sapientiam creator expende mecum: Membrum enim hoc longum factum est, concauum & Cartilaginosum, in duabus extremitatibus latum, in medio autem magis strictum, & tribus canalibus ceu organum quoddam compositum, ob idq; ad triplex officinum destinatum. Nam per hoc cibi in ventriculum traÿciuntur, vox perficitur, & aer atrahitur atq; retrahitur.

Cum verò hæc tria, & præsertim duo necessaria sint gutturis officia, receptio cibi, & aeris attractio, ideo duæ præsertim viæ in gutture apertæ sunt, vna qua cibus transit ad stomachum, & vocatur Esophagus, Altera qua aer transit ad pulmonis ventillabrum & vocatur trachea arteria. Ne autem res in interiora demittenda, aliam pro alia ingredi viam posset, quoddam his vijs operculum adhibitum est, quod Epiglottum siue gutturis lingua dicitur, quod alternatim vtramq; viam potest aperire, & ideo quando aspirandum est hoc operculum viam stomachi claudit, viam autem cordis & pulmonis aperit, & contra quando esculenta & poculenta demittenda sunt viam cordis & pulmonis claudit, stomachi vero pandit. Duæ namq; hæ viæ nunquam eodem momento possunt esse apertæ, vnde fit, vt si fortuito cibus incidat in tracheam arteriam, eousq; sollicitat, tussimq; mo-

quet donec eiiciatur, quod si præstari non potest, ad pulmonem defertur, viamq; aeris claudit & animal interire cogit.

De Collo:

Collum membrum est quo caput non sustentatur modo, sed & trunco corporis cohæret vnde & nomen habere putant à κολλάω cohæreo. Huius pars anterior gula est, posterior, ceruix. Ita vero totum hoc membrum conditum est, vt simul esset, rotundum, longum, osseum, & neruosum: Ac osseum esse debuit ad sustentandam molem capitis. Neruosum verò ad voluntarium motum quaquauersum, longum, ad meliorem & faciliorem vocis formationem, quo quis enim longius habent collum eo magis est canorus & vocalis vt apparet in auibus longo collo præditis, quæ omnes sunt canoræ & niuis clamosæ vt contra quæ collo carent plane sunt muta, vt pisces & insecta.

De Humeris.

Collo & capiti subiecti sunt humeri, lati & firmi, vt ijs tum pectus & brachium colligaretur, ad cordis & membrorum vitalium defensionem, tum vero capitis moles sustineri posset, tum deniq; vt ad onera recipienda idonei esse possent. Et hæc causa est quod hoc membrum osseum & neruosum ad onera portanda idoneum formatum est.

De Brachijs.

Ex humeris brachia in vtramq; partem ex-

tensa sunt, quibus peculiariter Deus ornare hominem voluit: Alijs enim animantibus pedes duntaxat ad gradiendum, homini verò etiam manus addidit ad operandum. propter quas fœlicior, & pulchrior etiam est homo cæteris animantibus.

Compacta sunt brachia ex duobus ossibus fortissimis inuicem concatenatis & vinctis, & fortissimis quoq; neruis humero desuper colligatis, vnde flexibilia sunt, & ad motum iuxta voluntatis arbitrium habilia. Nec ab re, Manibus enim frequentissimè vtimur, ad portandum sustentandum, eleuandum, deprimendum, constringendum, atrahendum, depellendum, impugnandum, defendendum, & deniq; ad laborandum. Quam ob causam Arist. lib. 4. de partibus Animalium, manus vocat, non vnum instrumentum corporis, sed multa, quippe manus creatio conueniens est multis & varijs operationibus. Potest enim homo vti interdum vna sola parte manus, interdum duabus vel pluribus secundum varios operandi modos. Et hæc est causa cur sapientissimus opifex diuiserit manum in plures articulos, & digitos inter se non æqua mensura distinctos, Alios namq; paruos, alios medios. alios magnos fecit, vt sic eorum beneficio, magna, media & minima commodè operarentur. Adiunxit & volam partem manus interiorem & concauam sine pilis, vt in ea parte sensus tactus maximè vigere posset. In hac parte illud esse dicit Plinius

nius mirabile, quod cum Scorpio alias corporis partes pungat easq; facile lædat, hanc solum lædere nunquam potest.

Digiti manibus annexi sunt propter corporis decorem: quini cuilibet, quorum vnumquemq; tribus ossibus distinxit opifex. Ac prior digitus virtutem & robur habet, vnde & pollex à pollendo dicitur, Secundus ostendendi commoditatem tribuit, ob eam rem index vocatur. Tertius loco medij factus est. Quartus ornamentum annulorum recipit, vnde annularis vocatur, vltimus propter tenuitatem scalpendi vsum habet, vnde auricularis vocatur. Ad extremum duplices voluit esse manus creator sapientissimus dextram videlicet & sinistram. Ac dextræ quidem plus caloris indidit vt leuior, & habilior esset ad laborandum, sinistræ autem minus caloris attribuit: Vnde Solinus lib. de Mirab. cap. 5. ait parti dexteræ habiliorem inesse motum, leuæ autem maiorem firmitatem, quam obrem altera gesticulationibus promptior, altera oneribus ferendis accommodatior est: Et ob eam causam leuam à Leuando quidam deriuari volunt. Licet Galenus testetur multos inueniri, qui vtraq; manu vtantur pro dextera, idq; experientia quotidie testatur. Quod tamen in viris saltem locum habere Hippocrates in Aphorismis testatur, qui perhibet mulierem nunquam posse fieri ambidextram, quod accidit propter frigiditatem in mulieribus dominantem.

vt contrà in viris propter abundantiam caloris fieri contrarium cernimus.

De Lateribus.

Humeris & manibus subiecta sunt latera, lata, in quibus latent costæ. Ob eam vero causam quatuordecim costis, hoc est ab vtraq; parte septenis latera fulciuit Creator, vt omnia interiora membra his tanquam custodibus fulcirentur custodirentur & sustentarentur: Colligantur porro hæ costæ in scutella vt vocant pectoris in qua ad defensionem cordis & membrorum interiorum inuicem complicantur. Ac quemadmodum manus dextera mobiliorem & agiliorem esse, sinistram fortiorem diximus: Ita latus quoq; dextrum mobilius est & promptius ad motum sinistrum verò firmius.

Cæterum placet hoc loco contra saltatores, & chorearum vertiginem addere, quod ipse in choreis videns obseruaui. Omnes enim choreæ ad latus sinistrum fieri solent: Et si quis motum eorum qui Choreas persequuntur diligentius obseruet, omnes ad sinistram partem fieri deprehendet, pergunt enim perpetuo ad sinistram à latere dextro interea recedentes. Applica hæc si placet ad moralem doctrinam: eos qui choreis & mundanæ huius vitæ gloria, atq; plausu tripudiant, à dextris Paradisi, ad sinistram inferni tot passibus appropinquare, quot saltus vertigine chorearum insano figunt.

Sed hæc extra oleas. De

De Dorso.

Lateribus exterius dorsum coniunctum est, quod solida carne, ossibus durissimis atq; fortissimis pelleq; simul grossiori compactum est, vt corporis esset fundamentum, & cuiuslibet oneris sustentaculum, medullæq; interioris tutela, & diuersorium. Ossa huius partis spinosa & perforata sunt, vt in ijs costæ laterum tanquam in fundamento radicari possint, & deniq; in eorum medio medulla à cerebro veniens, quæ Nucha à medicis dicitur, velut in repositorio contineatur. In hac parte hoc opifex homini peculiare concessit, quod solus inter omnia animantia supinus, in dorso iacere potest atq; dormire, qui situs vtiq; à vitæ brutorum, qui versa facie in terram perpetuò iacent, hominis vitam discernit.

De Pectore.

Opepositum dorso membrum pectus est, inter mamillas positum, & pro cordis ac pulmonis receptaculo concauum & latum. Ne autem ossa fortia ex quibus pectus constat apparerent, mamillis extrinsecus ea operuit creator, in quo rursus homo proprium à Deo donum accepit, nullum enim animal habet mamillas in pectore præter hominem, Elephante tantum excepto.

De Ventre.

Venter per quem cibi veniunt ad totum corpus in media corporis parte collocatum est ma-

na certè prudentiæ diuinæ laude, vt nimirum ad cibos membris inferioribus & superioribus distribuendos aptus esse posset. Mirabilem verò varietatem huic membro insecuit creator. Etenim hyemali tempore & vere. Calidissimum ventris temperamentum esse voluit, æstiuo autem frigidius, vt calore frigus, & frigore calorem temperaret quemadmodum magnus ille Medicus Hippocrates animaduertit. Centrum ventris, imo totius humani corporis, vmbilicus est, vnde etiam nomen accepit: Nam quemadmodum in Clypeo vmbus locus ille est editior atq; medius: ita vmbilicus ad modum vmbi in corporis, ventrisq; medio collocatum est. Et quia per vmbilicum infans in matrice fugendo sanguinem enutritur, ideo sapienti consilio hoc membrum ex neruis, venis, & arterijs constructum.

De Genitalibus.

Ventri subiecta sunt generationis instrumenta, quæ inde genitalia dicta sunt sapienti sanè cõsilio à Deo subantrum ventris occultata. Neq; n. vt Paterniani, Eunomiani, & Ethicoprocoptæ intemperanter mentiuntur, à Diabolo efformata sunt genitalia. Sed is ipse qui propagationis & generationis vnicus author est huic quoq; membro principalem virtutem, caloris naturalis præ cæ fomenta insecuit. Et hæc causa est quod sacræ literæ sterilitatis & propagationis laudem soli Deo

ascri-

ascribant Esa. 66. vers. 9. Annon ego, inquit, qui alios parere facio, ipse pariam. Ego sum qui generare facio, & ego prohibeo ne pariant. Vnde post raptum coniugis Abrahæ expresse dicit Moses Deum concluſisse familiæ Abimelechi vterum ne parere possent. Gen. 20. vers. 18.

De Natibus & fœmoribus.

Coniunxit genitalibus nates, vt dum sedemus illis inniti possemus, vnde & nomen habent. Ac vt totius corporis molem facilius sustinere possent dura & grossa carne neruis crebris complicata induxit. Quibus fœmora adiunxit, eaq; ossea carnosa, neruosa, interius aliquantulum concaua, & tortuosa, à parte verò superiore, grossiora, inferiore graciliora produxit, vt eo facilius & expeditius tum molem corporis sustinere, tum genitalia sua concauitate continere possent. Hæc cum sint propagationis instrumenta atq; initia sæpe fœmora proactu carnali in scripturis capi solent, vnde & vetus illa consuetudo nata est vt super fœmora iurarent, quemadmodum Abraham iussit seruum iurando fœmora attractare, ne filio suo vxorem ex Chananeis duceret Gen. 24. Quo ipso significabat olim Messiam ex fœmoribus suis secundum promissionem iuxta carnem nasciturum.

De Genibus.

Genua fœmoribus adiuncta sunt, quæ (vt vult Isidorus à genis dicta sunt. In creatione enim

fœt-

fœtus, in vtero materno, cohærent genua genis, vnde suo tumore concauitatem oculorum formare creduntur. Quemadmodum videtur Ennius innuere dum ait.

Genua comprimit arcta gena.

Hinc quidam existimant fieri, quòd dum homo in genua prouoluitur facilius fleat. Natura enim voluit eos de vtero materno recordari vbi quasi in tenebris concluſi erant antequam prodirent in lucem.

Cæterùm in formando hoc membro nonnulla apparet Dei sapientia, qui hominum genua flexibilia fecit fecit in partem posteriorem, versus dorsum, quemadmodum quadrupedum versus partem anteriorem in ventrem, excepto Elephante, qui pedes posteriores dicitur flectere quemadmodum homo: Lacertos verò brachiorum in homine flexibiles fecit ad interiora, super cor & caput, quemadmodum pedes anteriores in brutis versus ventrem, vt Plinius lib. 11. cap. 45. scribit. Huius rei ratio est erectus hominis gressus, qui talem corporis dispositionem requirebat, de quo postea videbimus.

De Cruribus.

Inter pedes & fœmora crura collocata sunt ex ossibus fortissimis composita, & quemadmodum columnæ robustissimæ ad sustentandam totius corporis molem, & ad currendum (vnde & dicta

Isido-

Isidorus existimat) accommodata: Animaduertit Plinius lib. 11. cap. 45. Crura à parte posteriore in homine duntaxat esse carnosa, & suris vestita, quamuis in Aegypto homines inuentos tradat, qui suris carerent.

De Pedibus.

Pedes extrema sunt humani corporis membra quos (vt molem totius corporis sustinere possent, ex quadraginta quatuor ossibus, iuxta sententiam anatomicorum quorundam, compingere creator voluit, & neruis crebris inter se colligare. Ac vt interius osseos, & neruosos produxit pedes, ita exterius carnosos, & planos, & aliquantulum concauos.

Cæterum quid in hoc quoq; membro homini peculiare Deus tribuerit non est inutile, neq; iniucundum expendere. Narrat enim Aristoteles lib. 5. de part. Animal. pedem in brutis ita esse formatum, vt in iuuentute posteriori pede tangere auriculas possint, in adulta verò ætate minimè. Cuius rei rationem hanc esse vult, quòd in quadrupedibus in iuuentute pars posterior altior sit anteriore, in adulta verò ætate pars anterior accrescat, posterior attenuetur. In homine autem contrario prorsus fit modo. Nam in pueritia pars anterior grossior, & ponderosior est posteriore, ob quam causam infantes, terram magis manibus, quam capite tangere, nec se sursum erigere valent:

sed

sed cum accreuerint, posterior pars maior euadit anteriore, & ob id sese sensim erigere incipiunt. Quod autem supra de manibus, & lateribus dictum est, hic quoq; locum habet.

Quemadmodum enim brachium dextrum mobilius est, & celerius siniſtro, quod vicissim dextro fortius esse deprehenditur: ita animaduertisse se Aristoteles testatur, pedem dextrum maioris esse mobilitatis, quam siniſtrum. Atq; hinc ait fieri, quòd nobilia quæq; animalia, & ad cursum habilia, moueant primò pedem dextrum, vt apparet in Camelo, & equis Asturconibus. Hinc quoq; fieri consueuisse idem tradit, quod mulier masculum in vtero gestans, subito vocata, pedem dextrum præponat, quæ verò fœmellam habet, siniſtrum semper ante dextrum Promoueat. Quod ipsum & Galenus super Aphorismos Hipocratis tradit. Denique hanc causam esse dicit Plinius lib. 21. cap. 45. quòd omnia animalia à dextris incedant partibus, incumbant autem siniſtris.

Atq; hactenus de illa partium corporis humani Harmonia, & membris artificioſiſſimè compoſitis, inter quæ maiora minoribus, minora maioribus concinne reſpondent: Quam corporis totius Harmoniam ſecum reputans Apoſtolus, maxima cum laude opificis, deprædicat mutuam membrorum concordiam, & mutua officia, eorumq; exemplo hominem totum ad concordiam alendam

inuita-

inuitare non semel solet. Turpe enim esse quis non videat totum a suis partibus degenerare. Sic ergo scribit 1. Cor. 12. vers. 14. 15. 16. 17. 18. Corpus inquit non est vnum membrum, sed multa. Si dicat pes, non sum manus, non sum de corpore, num ob id non est ex corpore? Et si dicat auris non sum oculus, non sum de corpore, num ob id non est ex corpore? Num autem Deus collocauit membra singula singillatim, in corpore sicut voluit? Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Non potest autem dicere oculus manui, non est mihi opus te, aut rursum caput pedibus, non est mihi opus vobis. Imò verò que videntur membra corporis infirmißima esse, necessaria sunt. Ex quibus verbis cum intelligamus, nullum hominis membrum, ita esse alicui operi accommodatum, vt non etiam sit decorum, sint præterea nonnulla quorum solum decus, & nullus est vsus, colligimus in creatione corporis, dignitatem necessitati fuisse prælatam.

CAPVT IIII.

De pulchritudine & perfectione humani corporis, quam figura, situs, erecta proceritas, & magnitudo ob oculos proponit.

ACturi in hoc capite vltimo. de figura & situ humani corporis, duo principaliter expendemus: statum hominis erectum, & corporis magnitudinem, siue proceritatem.

Ac primo quidem de statura erecta, postea de proceritate & magnitudine dicemus.

Ad primum quod spectat fundamenti loco supponemus ea quæ Cicero lib. 2. de legibus, item lib. 2. de natura Deorum, de hominis figura, & statu scribit: Vincit, inquit, homo omnium animantium figuras. Rursus: Vnum animal inter omnia spectabile est, atq; præstat cæteris ratione, & sermone. Cæterum dignitatis huius quæ causa sit, exprimit Xenophon in libro de factis & dictis Socratis, vbi asserit, eo solo figuras omnium animantium potissimè hominem vincere, quòd solum inter omnia animantia erectum Deus creauerit, visumq;, aures, & os ad sydera erexerit, vt multa prouideret, magisq; respiceret quæ supra se sunt, quàm laboraret.

Atq; huc respexisse videtur Socrates apud Platonem in Cratylo fol. 399. qui ἔτυμον vocabuli ἀνθρώπου explicans, ait nomen Græcum hominis figuræ optimè respondere. Aliæ enim animantes, quæ quidem feræ sunt, & ratione destitutæ earum rerum quas vident nullam perspiciunt: oculisq; notant, nullam adhibita ratiocinatione contem-

contemplantur, nullam ἀντροῦσι id est, attentè intuentur. At ἄνθρωπος, id est homo, quæ ὄπωπεν id est, vidit ἀναθρεῖ, id est, attentè intuetur, & ea quæ oculis notauit, adhibita ratiocinatione contemplatur. Inde nimirum homo singulari quadam ratione præter brutas animantes ἄνθρωπος nominatus est, ἀναθρῶν videlicet ἃ ὄπωπε, prospiciens & contemplans ea quæ vidit. Hæc Socrates apud Platonem. Quæ omnia prophanus Poëta Ouidius lib. 1. Metam. non sine iucunda verborum elegantia expressit, cum ait:

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri. Iussit,
& erectos ad sydera tollere vultus. Quos Hexametricos Boëtius lib. 5. de consolatione Philosophica Metro. 5. his Archilochijs dactilicis expressit, atq; exposuit.

Quam varijs terras animalia permeant figuris,
Namq; alij extento sunt corpore, pulueremq; vorant,
Continuumq; trahunt in pectoris incitata sulcũ.
Sunt quibus alarũ leuitas vaga, verberetq; vẽtos,
Et liquido longi spatia ætheris enatat volatu,
Hæc pressisse solo vestigia gressibus gaudent,
Vel virides campos transmittere, vel subire syluas,
Quæ varijs videas licet omnia discrepare formis:
Prona tamen facies hebetes valet ingrauare sensus

Vnica gens hominum celsum leuat altius cacumẽ
Atq; leuis recto stat corpore, despicit q; terras.
Hæc (nisi terrenas male despis) admonet figura,
Qui recto cœlum vultu petis, exeris q; frontem,
In sublime feras animum quoq; ne grauata pessũ
Inferior si dat mens corpore celsius leuato.

Argumentatur Boetius ex hac corporis humani dignitate, & præstantia, hominem vel solam figuram admonere, se ad cœlestium rerum amorem, contemplationemq; natum esse, vt qui ex omni animantium genere solus humum despiciat, vultuq; sublato cœlum suspiciat. Atq; hoc illud esse videtur, quod Cicero lib. 1. de legibus scribit, naturam non solum claritate mentis ornasse hominem, sed & sensus tanquam satellites adhibuisse, figuramq; corporis habilem, atq; aptam ingenio humano dedisse. Nam cum cætera animantia abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad cœli quasi cognationis, domicilijq; pristini conspectum excitauit, tum speciem ita formauit oris, vt in ea penitus diuinam effingeret imaginem. Quod ipsum Siluius Italicus lib. 15. his versibus elegantissimè expressit.

Nonne vides hominum vt celsos ad sydera vultus
Sustulerit Deus, ac subjimia finxerit ora,
Cum pecudes, volucrumq; genus, formasq; ferarũ,
Segnem atq; obscœnam passim strauisset in aluũ?
Ad laudes genitum capiat si munera diuum
Fœlix ad laudes hominum genus. &c. His optime

mè consentiunt quæ Patres de erecta hominis figura scribunt: Clemens Alexandrinus in oratione adhortatoria ad Gentes: Homo, inquit, es quære id quod est maximè commune, eum qui te est Fabricatus. Est enim alioqui homini natura ingeneratum, vt ei quædam intercederet cum Deo coniunctio. Quemadmodum ergo equum non cogimus arare, neq; taurum venari, ad id autem quod natura aptum est animal vnũquodque trahimus, sic certè hominem, qui natus est ad cœli contemplationem, & verè est Planta cœlestis, adhortamur ad Dei cognitionem, id quod est eius proprium, eximium, ac peculiare comprehendentes. Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manich. cap. 17. Omnium animalium corpora, quæ in aere volitant, siue quæ in aquis siue quæ in terris viuunt, inclinata sunt ad terram, &. non sunt erecta sicut hominis corpus: Quo significatur, etiam animam nostram in superna id est æterna & spiritualia erectum esse debere. IDEM Lib. 6. de Genesi ad liter: cap 12. Homo, inquit, in ipso corpore habet quandam proprietatem, quæ hoc indicat, quod erecta statura factus est, vt hoc ipso admoneretur, non sibi terrena esse sectanda veluti pecoribus, quorum voluptas omnis ex terra est. Vnde in aluum cuncta pecora prona atq; prostrata sunt. LACTANTIVS. Vtiq; ἀνθρωπος, Græci appellarũt, quod sursũ spectet.

Spectare nos cœlum Deus voluit, vt Deum, quē oculis non possumus, animo contemplemur. Nam figura & status nihil aliud significant nisi mentem hominis eo spectare oportere, quo vultum.

Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 24. Iam verò in ipso corpore quamuis nobis sit cum beluis mortalitate commune, quanta Dei bonitas, quanta prouidentia tanti creatoris apparet? Nonné ita sunt in eo loca sensuum, & cætera membra dispositа, speciesq; ipsa, ac figura & statura totius corporis ita modificata, vt ad ministerium animæ rationalis se indicet factum. Non enim vt animalia rationis expertia prona esse videmus in terram, ita creatus est homo, sed erecta in cœlum corporis forma admonet eum quæ sursum sunt sapere.

Lactantius lib. 2. de Orig. Error cap. 2. Iuuat inquit veluti in aliqua sublimi specula constitutum vnde vniuersi exaudire possint Persianum illud proclamare.

O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes. Cœlum potius intuemini, ad cuius spectaculum nos excitauit artifex verus Deus, ille vobis sublimem vultum dedit, vos in terram curuamini. vos altas mentes, & ad patrem suum cum corporibus suis erectas ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat non quadrupedes esse natos.

Idem

Idem de Dei opificio: Cum statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cœlestem, cætera vniuersa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemq; constituit, scilicet vt eadem spectaret vnde illi origo est, illa verò depressit ad terram, vt quia his nulla immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum proiecta, ventri pabuloq; seruirent. Hominis itaq; solius recta ratio est, & sublimis status, & vultus Deo patri communis, ac proximus originem suam fictoremq; testatur.

Bernhardus Sermone in Festo Sancti Martini: Propterea (Deus) rectum fecit hominem etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit cum prona vtiq; spectent animantia cætera terram, vt attollens ad sydera vultus, illico suspiret, vbi tum beatam & perennem respicit mansionem nonne enim pie & fideliter intuentibus nobis vehementissimum quoddam incendium amoris & prouocatio flagrantissimi desiderij est, visio ipsa tam lucidissimæ regionis? Non sunt cœli stellæ similes glebis terræ.

Ambrosius lib. 6, Hexamerôn. Caue inquit ô homo pecudum more curuari, caue ne in aluum te non tam corpore quam cupiditate deflectas, respice corporis tui formam, & respectiem congruentem celsi vigoris assumme. Si sola animantia prona pascuntur, cur te in edendo sternis ipse

natura non strauit? Cur eo delectaris in quo naturæ iniuria est? Cyprianus Tract. 1. contra Démetrian: Rectum te Deus fecit, cum cætera animalia pronaad terram situ vergente depressa sint tibi sublimis status, & ad cœlum atq; ad Deũ tuũ vultus erectus est, illuc intuere, illud oculos tuos erige, in supernis Deum quære, vt carere inferis possis ad alta & cœlestia suspensum pectus attolle.

Philo in libro. Quod deterius potiori insidietur. Hominis radices Deus in cœlum vsq; protendit, & ad extremã illas fixarum quas vocant stellarum religauit circumferentiam. Solam enim in terris cœlestem Plantam fecit hominem: Cæterarum in terra defixit capita, omnes enim humi caput habent, soli homini sublime dedit, vt alimenta cœlitus incorruptibilia quærat, non terrena ista corruptioni obnoxia. Quapropter corporis nostri partem insensatissimam longè à ratione secretam, pedes, ceu radices ad terram applicauit sensus autem mentis satellites, & hanc ipsam longissimè à terra iussit habitare. & ad ætheris, cœliq; nunquam interituros alligauit ambitus.

Idem in libro de Plantatione Noë.

Stirpes deorsum immenso fecit creator capite infixas fertilissimis terræ partibus: Brutorum autem capita retraxit à terra, & summæ cernici oblongæ aptauit, & pro fulcro pedes anteriores ei supposuit. Solus homo eximium ornatum sortitus

tus est : Cæterorum enim animantium ora deorsum flexit, quapropter ad terram prona sunt, hominem contra erexit, vt cœlum suspectaret, cum sit non terrestris Planta sed cœlestis.

Cusanus lib. 3. exercitationum : Hominem sursum creauit Deus ad se : Omnia enim animalia, & omnia creata in homine quasi in fine quiescunt, homo autem non nisi in die septimo seu Sabbato quiescit. Sabbatum autem est lux, quæ non legitur creata, sed Deus benedixit diei septimo, vnde solum in hac luce increata quæ Sabbatum dicitur est quies hominis & vna est hominis lux benedicta nisi in Sabbato. Hactenus de erecta hominis figura, nunc ad proceritatis eius magnitudinem transeamus.

Hominis ad cœlum erecti formam commendat quoq; nobis magnitudo, & procerior hominum quam aliorum animantium statura, quam primis præsertim patrum temporibus ante illud nobile diffamatum diuinum longè maiorē quàm nunc fuisse, præter alia multa indicant sepulchra per eluuionem aquarum, vel alios casus aperta, ex quibus apparuerunt ossa hominū incredibilis magnitudinis: Narrat Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 9. se cum alijs multis vidisse in littore Vtinēsi molarem hominis dentem, tam ingentem vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Homerus Iliad 6. in Pugna Diomedis & Aeneæ

Diomedem canit saxum quod iacebat in agro ingens, ac ponderosius viribus quatuordecim iuuenum οἷοι νῦν βροτοὶ εἰσιν quales inquit nūc sunt homines, raptum intorsisse in Aeneam, quo ictu hic prostratus tectus est à Venere matre, diffusa caligine nigra. Quod Virgilius Aen. 12. ita reddidit.

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent. Quo loco simul conqueritur de corporum nostrorum paruitate, quæ hoc tempore tellus producere solet. Qualia nūc hominum producit corpora tellus?

Hinc idem Virgilius Aratores modernos magna ossa aratræ effossanon ab re tradit mirari.

Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris: Reuera enim corpora nostra si conferantur ad veterum hominum corpora longa mensura magnitudinis vincentur.

Iuuenalis vtrumq; illud quod Homerus & Virgilius de lapidis magnitudine quo Diomedes Aeneam petijt tradunt his versibus expressit.

Satyr. 15.

Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere domestica seditione
Tela, nec hunc lapidem quali se Turnus & Aiax
Ex quo Titides percussit pondere Coxam
Aeneæ, sed quam valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, & nostro tempore natæ

Postea

Postea paruitatem corporum nostri seculi exprimens ait:

Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero
Terra malos homines nunc educat atq; pusillos
Ergo Deus quicunq; aspexerit, ridet, & odit.

Plinius similem querelam habet de nostrorum corporum paruitate lib. 7. cap. 16. dum sic scribit: In plenum cuncto mortalium generi minorem indies fieri staturam propemodum obseruatur, rarosq; patribus proceriores, consumente vbertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergit æuum.

Postea subijcit aliquot exempla magnitudinis corporum veterum: In Creta, inquit, terremotu rupto monte, inuentum est corpus stans 44. cubitorum, quod alij Orionis, alij Oti fuisse tradunt.

Orestis corpus oraculi iussu refossum, septem cubitorum fuisse monumentis traditur. Iam verò ante annos propè mille vates Homerus non cessauit minora corpora mortalium quam prisca cõqueri: Hæc Plinius: Sed quid de magnitudine corporum priscorum dubitamus? Moses Deut. 3. vers. 11. testatur, Lectum ferreum Og regis Basan, apud filios Ammon conseruatum, nouem cubitorum humanorum fuisse in longitudine, & quatuor cubitorum in latitudine. Sed & Vrias Angelus Domini rationem exprimit, cur nostro

tempore minoris staturæ homines crescant quàm temporibus priscis. Ait enim ad Esdram: 4. Esd. 5. vers. 52. 53. 54.

Quere ab ea quæ parit, quare quos peperisti nunc non sunt similes ijs qui ante te, sed minores statura? Et dicet tibi & ipsa, Alij sunt qui in iuuentute virtutis nati sunt, & alij qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati. Considera ergo & tu quoniam minori statura estis præ ijs qui ante vos. Et qui post vos minori quam vos, quasi iam senescentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes. Hoc propemodum est, quòd Cyprianus Tractatu 1. Contra Demetrianum scribit: Scire debes senuisse iam mundum neq; illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea prævalebat. Hoc etiam nobis tacentibus mundus ipse loquitur & occasum sui, rerum labentium probatione testatur, &c. Postea longa inductione probat omnia in mundi huius senescentis fine minui & eneruari. Quibus omnibus rite expensis, liquido apparet, quod quemadmodum Deus mundum propter hominem machinatus est: ita hominem propter seipsum condidit, tanquam diuini templi Antistitem, & speculatorem operum, rerumq; cœlestium. Idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus, recto etiam corpore ac procero statu factus est: vt ad contemplationem

parentis

parentis sui factus esse videatur, ideo sermonem solus accepit, & linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maiestatem Domini sui posset. Postremò idcirco ei cuncta subiecta sunt, vt factori & artifici Deo esset ipse subiectus breuiter. Hic finis formationis animæ, & corporis est (de quibus in hoc libello breuiter tractauimus)

vt homo sit templum Dei. &
Deus ara hominis.

LAVS DEO.

Biblioteka Gimnazjalna Stargardzki w Szczecinie

Ob. 8. II. 3411

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA